

RABY SAMUELIS TRACTATUS,

INDICANS

ERROREM JUDÆORUM

Circa observantiam legis Mosaicæ,
& venturum Messiam, quem expectant,

OPUS AUREUM

Omnibus Christi Fidelibus, & Scripturæ
Professoribus apprimè utile

Ab Admodum Reverendo Patre Magistro

ALPHONSO BONO HOMINE HISPANO

Ordinis Prædicatorum

Circa Annum 1339. ex Arabico in
Latinum translatum ; tempore Pontificatus
BENEDICTI fel. record. PP. XI. Venetiis impressum,
exinde licet ab Hebrais, ne typis mandetur,
undique celatum, feliciter adinventum,

Ac à

Per illustri, & Admodum Reverendo Domino
DOMINO

FRANCISCO GRIFONO

Sacerdote Matelicensi

IDicatum Illusterrimo Domino Domino

BARONI FRANCISCO GRIFONO

Equiti Amplissimo Chietensi

Denuò impressum Maceratae Anno 1693.

DEMUM

▲ PP. Professoribus Provinciæ S. Crucis Bosnæ
Argentinæ occasione concertationum publicarum
reimpressum.

BUDÆ, Typis Francisci Leopoldi Landerer,
Typographi, Anno 1753.

APPROBATIONES.

Si Videbitur Illustrissimo , & Reverendissimo Domino Domino FABRITIO PAULUTIO Episc. Macerat & Tolent. *Imprimatur* Alexander Compagnonus Archidiaconus Eccl. Cathed. Macerat. Revisor Episcop. vidit, &c.

Imprimatur.

Didacus Balducci Proton. Apost. I. V. & S. Theol. Doct. Eccl. Cathed. Macerat. Canonic. Theol. Illustris. & Reverendissimi D.D. FABRITII PAULUTII Episc. Macer. & Tolent. Vicarius Generalis.

Jacobus Franciscus de Amicis Patritius Macerat. I V. nec non Philos. ac Sacr. Theolog. Doct. Sanct. Offic. Revisor vidit , &c. Si placet Reverendiss. Patri Inquisitori Anconæ.

Imprimatur.

Fr. Bernardus Maria Lemos Clima Ord. Prædicat. Sacr. Theolog Lector , & Professor, Sanctissimi Rosarii Promotor , ac Vicarius Sancti Officii Maceratae.

IL-



ILLUSTRISSIME DOMINE, EQUES AMPLISSIME.

Quot sunt, Illustrissime Domine, tua præclarissima gesta, tot esse fateor beneficia, quæ innumera in me contulisti, de quibus coram cum non possim tibi meum obsequium præbere, stante antiquissima Consanguinitate; modo calamo animum divotissimum exhibeo hunc tibi dicando libellum, quem cum domi meæ fortuito invenerim, ut Judæorum perfidia frangatur, imprimi facere

cere compellor, & ut tuo potentissimo nomine, quod feras mordaces fugat, munias, humillime rogo : Nam Grifonum est proprium pelle re Belluas. Munusculum istud qualemque sit, hilari vultu recipias ; Donec altera accedat occasio, qua pro gratiis in me collatis, & in dies accipiendo exhibeam debitum maximum, quo tenor & amore, quo flagro, Tua pertui gratia, & Tuorum mandatorum honore lætari.


D. S. Illustriſſ.

Matelicæ hac Die 1693.

Humill. Servus, & Consanguineus

Franciscus Grifonus Reim.

P R A E-



PRÆFATIO

Ad Amicum Lectorem.

ELevavit Dominus de terra iniqua Iudeorum inopem hunc, & mendicum Cognitionis Divinae Raby Samuelem, ut compunet corde mortificaret, argueret, & statueret contra facies Patrum, ac Fratrum suorum in obsecratione Judaica se gloriantium; Ductus enim a spiritu timoris, & amoris, locutus est lingua Arabica, nativoque sermoni, sequentes exarando Epistolas, ad hominem, Iudeorum errores convincentes; licet autem præ invidia Iudeorum (qui videbantur convicti, & confusi) per plura secula fuerint absconditæ in terra oblivionis, & per Adm. Illust. & Adm. Rev. D. Franciscum Grifonum de Terra Matelicæ denuo in lucem editæ, Bonus tamen Deus, Bonum hominem Hispanum; Alphonsum scilicet Ord. Prædicatorum, inter cæteros delegit interpretantem sermones, & genera linguarum, ut

ut velut Tuba Gedeonis latino clangore Inimicos Christianæ prefigaret Religionis, & Zelo Divini amoris (ut moris est in Ordine Praedicatorum) Vulpeculas dissiparet Mystici Samsonis, quæ Vineam Christi Sababol in Christum, & Christianos demolire non cessa-
fiant. Hunc ergo Tractatulum quem alacri animo vidi, & revidi; Amice Lector in manibus frequenter habe, animo revolve,
& bene considera, velint enim, nolintque Inimici Crucis Christi, & qui scandalum habent Crucis, lapidem quem reprobaverunt, hic factus est in Caput Anguli; Precemur ergo Dei misericordiam, ut sicut per Crucem a Judæis sepultam, & ab Helena effosam mortuum resuscitavit, ita per doctrinam Crucis Christi in hoc Tractatulo contentam, & a Sapienti Spiritu in lucem editam, revocet ad vitam Gratiae Religionisque Christianæ mortuos per tot secula Judæos. Vale.





INDEX CAPITULORUM.

C Apitulum I. <i>Quare Judæi sunt in ira Dei.</i>	
<i>Pagina</i>	5.
Cap. II. <i>Probat, quod pro quodam gravi peccato in quo sunt, sint in hac dispersione, & arguit eorum obseruantiam legis.</i>	8.
Cap. III. <i>Quomodo omnis observantia legis Ju-dæorum non est acceprabilis Deo propter pec-catum in quo sunt.</i>	10.
Cap. IV. <i>Ostendit, quod Judæi sint cæci.</i>	13.
Cap. V. <i>Quod Judæi decipiunt alios, & seipso.</i>	14.
Cap. VI. <i>Quodnam sit illud peccatum propter quod Judæi sunt in hac captivitate.</i>	18.
Cap. VII. <i>Quod justus JESUS Christianorum Deus inuste venditus sit.</i>	20.
Cap. VIII. <i>Quomodo post occisionem facta sit di-spersione Ju-dæorum secundum Danielem.</i>	23.
Cap. IX. <i>Quod duo sint adventus Christi.</i>	26.
Cap. X. <i>De primo adv. ntu Christi.</i>	27.
Cap. XI. <i>De secundo adventu Christi, quod runc sit cum potentia judicaturus.</i>	31.
Cap. XII. <i>De Christi Ascensione.</i>	33.
Cap. XIII. <i>Adbuc fortius probat corporalem As-censionem Christi.</i>	36.
Cap. XIV. <i>De cæcitate Ju-dæorum, quod non cre-dunt Christum advenisse, nec intelligunt.</i>	42.
<i>Cap.</i>	

- Cap. XV. Quomodo cæcitas Iudaorum, & incredulitas circa Christum fuerit prænuntiata per Prophetas. 44.
- Cap. XVI. Ostendit reprobationem Iudaorum propter eorum perfidiam, & electionem gentium propter eorum fidem. 47.
- Cap. XVII. De vivificatione gentium & imperfectio-
ne Iudaorum, prout etiam videbitur in cap.
sequenti. 51.
- Cap. XVIII. Quomodo gentes per fidem vivificatae
habeant mundas observantias novæ Legis. 52.
- Cap. XIX. De electione Apostolorum loco Pro-
phetarum. 54.
- Cap. XX. De reprobatione Sacrificii Iudaorum,
& electione Sacramenti Christianorum. 62.
- Cap. XXI. Quod Deus refutaverit Jejunia Sab-
bata, & Sacrificia Iudaorum, & Christiano-
rum elegerit. 67.
- Cap. XXII. Probat abjectionem Synagogæ, & ele-
ctionem Ecclesiæ per Verbum Domini ad Re-
beccam. 70.
- Cap. XXIII. Probat hoc idem per verba Malachia
Prophetæ. 72.
- Cap. XXIV. Quod cantus Christianorum sit Deo
acceptus. 76.
- Cap. XXV. Quod Judæi indebite reprobendant
cantum Christianorum. 78.
- Cap. XXVI. Probat apostasiam Iudaorum a
Deo. 81.
- Cap. XXVII. Concludendo inducit aliqua dicta
Saracenorum de Jesu, & Maria Mater ejus. 85.



TRACTATULI

Valde utilis ad convincendum
Judæos de errore suo , quem habent de
Messia adhuc venturo & observantia Legis
Mosaicæ.

EPISTOLA PROœMIALIS.

Reverendo in Christo Patri Fratri Hugoni ,
Magistro Ordinis Prædicatorum Dignissimo ,
ac Sacrae Paginæ Professori , ejus Subditus
Frater Alphonsus Bonibominis Hispanus , pro-
missam obedientiam promptam in omnibus sem-
per devotam .




Cum ego propter parvitatem
meam , & insufficientiam ,
non sim talis , ut vobis pos-
sim , vel sciam aliquid ma-
gni præstare , vel saltem af-
sistere tanto Patri in labori-

A bus ,

bus, & curis vestris, quos pro vera
quiete omnium, & totius Patriæ sustine-
tis. Ad solatium vestrum aliquale ta-
men quasi sublevamen laboris Libellum
hunc antiquissimum, qui nuper devenit
ad manus meas, & fuit in antea tot tem-
poribus occultatus, nova translatione de
Arabico in Latinum per me interpreta-
tum parvum encæniolum vobis mitto.
Sciendum, quod inter Judæos multum
gloriantur illi, qui Arabicarum littera-
rum obtinent peritiam. Tum quia il-
læ litteræ sunt in antiquorum Philoso-
phorum usu satis copiosæ; Tum etiam,
quia in eis, ut puto, paucis Judæis pau-
cioribus Christianis, notis, scribunt con-
fidentius secreta sua, quæ volunt aliis
occultare. Qua de causa, ut existimo,
Judæus iste, licet cathecnmenus, auctor
hujus librī, non ipsum Hebræo sermo-
ne, sed in Arabico annotavit. Sed o-
portet ut tarde vel cito *omnia occulta re-
velentur*, juxta sententiam Salvatoris. E-
go vero in transferendo ipsum auctori-
tates Bibliorum ab ipso Judæo inductas,
sic scripsi in locis suis in Arabico, & La-
tino, non prout in nostra habentur
translatione secundum Beatum Hierony-
mum

nūm, sed prout iste Judæus eas scripsit,
quando composuit istud opus. Et hoc
feci, ne aliquis mihi possit imponere,
quod in contextu aliquid præsumpsérím
addere, diminuere, vel etiam immuta-
re. Et ut super hoc essent omnes Ara-
bici mihi testes. Et hoc dico, quod Ju-
dæus iste nostram translationem non se-
quitur, ut videbitur in processu. Me
autem, ut credo, oportuit ipsum expo-
nere in Latino, prout ipse loquitur in
Arabico, ejus modum loquendi, & or-
dinem, quantum possibile erat, servan-
do, aliter non interpres, sed corruptor
libri ejus dici possem, ut etiam Judæi,
si viderint istum librum in utraque lin-
gua conscriptum, tantum convincantur
per eum, si viderent, quod auctoritates
in Latino ad hoc descriptæ in Arabico
non discordarent. Et cum solatio ve-
stro, Domine mi, & Magister, hic est
finis hujus, quem intendo. Conservet
vos Ordini nostro Dominus noster JE-
sus Christus per multa tempora in sua
gratia, & amore, Amen.

Incipit Epistola, quam misit Rabby Samuel, Israe-
lita, oriundus de Civitate Regis Mærochorum, ad
Rab. Ysaac, Magistrum Synagogæ, quæ est in sub-
juncta in prædicto Regno, in Anno Domini Millesi-



mo, sed translata de Arabico in Latinum per Fratrem Alphonsum Bonihominis Hispanum, Ord. Prædicatorum. Quam translationem fecit Anno Domini 1338. tempore Pontificatus, Domini BENEDICTI Papæ XI. Quæ Epistola cujus sit editionis, & ad quid valeat, Procœnum ipsius Epistolæ, & Narratio ejus plenius declarabunt, cum titulo, qui est talis:

TITULUS EPISTOLÆ.

*Epistola, quam scripsit Magister Samuel, Israeli-
ta, oriundus de Civitate Regis Marochiani,
ad Rabbi Isaac, Magistrum Synagogaæ, quæ est
in Subjulmetæ in regno prædicto.*

EPISTOLA.

Conservet te Deus, ò Frater, & permane-
re te faciat usquequo terminetur ista no-
stra captivitas, & congregetur ista nostra di-
spersio, & appropinquet pax nostra, & signet
Deus beneplacitum suum super vitam nostram,
Amen. Novi, & expertus sum, quod plen-
nitudo scientiæ nostri temporis est in te, & tu
es spes nostræ certificationis in dubiis Legis,
& Prophetarum cum tuis expositionibus glo-
riosis. Unde ego particeps doctrinæ tuæ fieri
desiderans, tibi expono exitus cordis mei, su-
per illis, quæ Legis sunt, & Prophetarum,
super quibus anxior cum timore. Quapropter
recurro ad abundantem scientiam tuam,
& sapientiam, & mitto tibi libellum istum,
sperans per te Deo volente in veritate confir-
mari, ac in dubiis declarari,

CA-

CAPITULUM I.

Quare Judæi sunt in ira Dei.

DEsidero Domine mi certificari per te, de testimoniis Legis, & Prophetarum, & aliarum scripturarum, quare nos Judæi generaliter percussi simus a Deo captivitate ista, in qua sumus, quæ potest vocari proprie *ira* Dei perpetua, quoniam non habet finem. Nam modo sunt mille anni completi, & ultra, quod per Titum fuimus captivati. Nos scimus, quod patres nostri adoraverunt idola, occiderunt Prophetas, & Legem Dei abjecerunt, & propter omnes istas transgressiones Deus non percussit eos captivitate, nisi per 70. annos in Babylonia, & post tempus præfatum placatus est eis, & reduxit eos in terram suam. Et secundum scripturam *ira* Dei fuit tunc temporis validissima super omnes iras, quas ante tempora illa commemorat scriptura, & tamen, ut dictum est, pœna tantorum peccatorum non fuit, nisi 70. annis. Et nunc, Domine mi, *ira* Dei, quæ in

præsentì punit nos , non habet terminum , nec finis ejus promittitur in Prophetis. Si voluerimus dicere , quod ista præsens ira , in qua sumus , sit adhuc illa ira , propter quam fuit illa captivitas 70. annorum , quia tunc non complete satisfactum est de peccatis prædictis per illos patres nostros , nos facimus Deum mendacem , quod absit , quoniam ipse Deus verus , & gloriofus illi captivitati imposuit præfatum terminum per Prophetas , scilicet 70. annos unde talis non est responsio , sed evasio , seu excusatio , nec esset coram intelligentibus proponenda. Et si dixerimus , quod Deus in illa transmigratione misertus est unius partis generis nostri , & non alterius , & illos , quorum misertus est , reduxit ad reædificandum templum , ut dicit Propheta Hieremias , & quod nos sumus de illis , quorum non est misertus , tunc dicent nobis Christiani , quod Deus misertus est eorum , qui adoraverunt idola , & qui occiderunt Prophetas , ergo & nostri , quia nos non peccavimus. Item in patribus peccatoribus fuit poena Divinæ ultionis in certo termino , quare ergo nostra poena esset fi-

ne

ne termino, qui non peccavimus? Itaque longa est, & sine termino pœna, in qua sumus, modo jam sunt mille anni, nec in Lege, nec in Prophetis hujus pœnæ terminum possumus invenire. Quare, Domine mi, cum Deus punierit patres nostros propter idololatriam, & propter interfectionem Prophetarum, & pœna, & culpa sint notæ in scriptura, cum Deus non punit bis idipsum, pro peccatis illis præteritis fuit pœna, scilicet captivitas 70. annorum, & cum Deus non punit universaliter, nisi propter universale peccatum, oporteret, quod post illam captivitatem nos peccaverimus omnes coram Deo, peccato majori, quam fuerit idololatria primorum parentum, & quam fuerit interfeccio Prophetarum, ex quo Deus pro illis peccatis punivit patres nostros 70. annis, & non amplius, & nos punivit, jam sunt mille anni, & ultra, & punit, & dispersit nos per quatuor partes mundi. Tamen quicquid contingat, Dei sumus in omni eventu, quia nulla est excusatio super dicta. Responde.

CAPITULUM II.

Probat, quod pro quodam gravi peccato, in quo sunt, sint in hac dispersione, & arguit eorum observantiam Legis.

Supposito igitur, Domine mi, quod simus in peccato aliquo maximo, rogo nunc, certifiques me: postquam Deus dispersit nos de Hierusalem, & misit in captivitatem istam longissimam seu perpetuam propter illud peccatum, cur nos auctoritate nostra, & propria voluntate sine speciali mandato Dei in captivitate ista incepimus observare Circumcisionem, & Sabbatum, & alias cæremonias, quas tenemus secundum Legem Moysis? Nam nos cognoscimus, quod a tempore, quo Titus destruxit civitatem sanctam, & templum combus- sit, & bibliothecas, & nos in captivita- tem istam dispersit, & extunc cessavit inter nos vigere sacrificium, oblationes, & holocausta, & Deus non nunciavit nobis postea per Prophetam aliquem, nec per prophetiam; nec per revelatio- nem aliquam certam, quod nos debea- mus redire aliquando Hierosolymam in statu

statu pristino, nec mandavit nobis postea, ut observaremus observantias praedictas. Videtur ergo sequi, quod nos non a Deo, sed ab illis, qui erant in ira Dei, observantias praedictas acceperimus, & teneamus. Et videtur, quod iuste dicant nobis adversarii nostri. Sicut vos observatis Circumcisionem, & Sabbatum, & legitis in Synagogis libros Moysis, & Prophetarum sine mandato Dei, quare non assumitis vobis similiter sacrificium, & non facitis vobis Sacerdotem, & Regem, & Principem, & Unctiones sanctas, & Incensum, & quare non ædificatis vobis altaria, & servatis cæremonias, & omnia alia, quæ sunt in Lege contenta, sicut Sabbatum, & Circumcisionem, & plura alia, quæ observatis secundum traditiones vestras sine mandato Dei, propria voluntate? ex utraque parte curritis in offendam Dei; Et si hæc praedicta facitis contra voluntatem Dei, vel si dicitis, quia voluntas Dei est, ut hæc servetis, & beneplacitum, quod tamen ostendere non potestis, quare non observatis supradicta alia, quorum multa facere potestis? Et si populi, sub quibus jacetis, vobis

non permittunt facere Reges, &c. per-
mitterent tamen vos multa alia facere,
sicut permittunt Circumcisionem, & li-
bros, & Synagogas, & alia, quæ serva-
ris. Et ad hæc, Domine mi, non est
nobis in promptu responsio sufficiens,
ut videtur, sumus tamen Dei in omni
eventu.

CAPITULUM III.

*Quomodo omnis observantia Legis Iudeo-
rum non est acceptabilis Deo propter pec-
atum, in quo sunt.*

Invenimus, Domine mi, Deum lo-
quentem per os Zachariæ, & dicen-
tem 7. cap. ubi loquitur de illa prima
captivitate brevi interpretando hanc au-
toritatem, secundum quod scripta est in
Arabico, sicut infra posita est, sonat in
Latino: *Hæc dicit Dominus Deus Sacerdo-
tibus, & populo terra: Quando jejunastis,
& plorastis in quinto & septimo, & toto tem-
pore 70. annorum, intellexistis, quod jeju-
naretis ad me, aut ploraretis, ego tale jeju-
num nolui à vobis; nostra autem transla-
tio aliter se habet, sed ego scribere pro-
pono*

pono, sicut jacent in Arabico auctorita-
tes, quas Samuel iste adducit, non sicut
sunt in nostris Bibliis. Innuit Domi-
nus, Domine mi! in prædictis verbis,
quod dum nos Judæi fuimus per 70. an-
nos in dicta captivitate, fuimus sine *Lege*,
quia *jejunium* non habuimus, neque habemus
a *lege*, sicut alias *observantias*, & similiter
fuimus sine *Circumcisione*, & sine *Sabbato*,
& sine dubio omnia hæc non valent,
dum ira Dei manet super populum
suum. Illa vero prima ira Dei fuit bre-
vis, quia 70. annorum, ista quidem,
in qua nunc sumus, est longa jam mil-
le annorum, & ultra, & non invenitur
ei terminus in Prophetis, & timeo, Do-
mine mi, quod sicut Deus misit in capti-
vitatem illam brevem patres nostros si-
ne lege, & sine *observantiis*, nec ac-
ceptavit *jejunia*, nec *observantias* Legis
eorum, quo usque fuit completum tem-
pus pœnæ ipsorum, scilicet 70. anno-
rum, sic in ista captivitate ultima non
acceptat opera, quæ facimus secundum
observantias Legis, Quare constat nos
esse in majori peccato nunc, quam Pa-
tres nostri fuerint in Babylonie, unde &
nos sumus in majori ira Dei, quam illi
erant,

erant , & per consequens opera no-
stra sunt ei minus placita , & nos su-
mus ei magis odiosi . Et patet , quod
illi propter mortem Prophetarum , &
quia idola coluerunt , fuerunt tantum
70. annis in captivitate , & nos propter
magnum peccatum , & maximum su-
mus captivi , jam sunt mille anni , &
ultra . Et hæc captivitas , Domine mi ,
sine dubio est illa , quam Deus per os
Danielis Prophetæ vocat desolationem ,
cum dicit cap . 9 . *Usque ad consummatio-*
nem , ⁊ finem perseverabit desolatio , ⁊ c.
Prima captivitas vocatur transmigratio
quia post modicum tempus fuerunt re-
ducti cum honore in Hierusalem , sed
hæc vocatur *desolatio perpetua* , in qua pro-
certo Deus non miserebitur nostri , sicut
miserebatur patrum nostrorum in Baby-
lonia , excepto quod consolabatur eos
per Prophetas , qui promittebant illis
liberationem , & erant omnes simul ,
nobis autem nihil promittitur , & insu-
per dispersit nos per universa regna
mundi . Attamen quidquid contingat ,
Dei sumus in omni eventu .

C A P I T U L U M IV.

Ostendit, quod Judæi sint cæci.

Domine mi! valde mirabile est mihi de nobis. Speramus enim quotidie liberationem de captivitate ista, & semper loquimur de reductione nostra in Hierusalem, & ideo sumus cæci, vel deceptores simplicium. Nam constat, quod post dispersionem nostram, quæ facta est per Titum, non apparuit in nobis Propheta, qui nobis promitteret reductionem, nec etiam post captivitatem 70. annorum fuit Propheta, qui loqueretur de ista captivitate, quæ non habet finem, nisi in fine mundi, nec liberationem habet, nisi per consummationem sæculi. Quia Daniel illam vocat *Desolationem sine fine* cap. 9. Unde timeo, Domine mi, cum tanta captivitas non possit manere super totam gentem nostram a Deo, nisi propter maximum peccatum in Deum, quod majus est, quam interfecisse Prophetas, & adorasse idola, propter quæ peccata Patres nostri fuerunt puniti, quod sicut Deus non miseretur nostri in vita, cum in

in eodem peccato perseveremus, sic etiam nec miserebitur mortuis ex nobis. Attamen sumus Dei in omni eventu, qui evenerit.

C A P I T U L U M V.

Quod Judæi decipient alios, & seipso.

Domine mihi videtur, quod decipi-
mus alios, & nos ipsos, quia in li-
bris Legum, & Prophetarum habemus
Deum promittentem nostræ genti libe-
rationem, & congregationem de disper-
sione multipliciter. Sed bene adver-
tenti patet omnes promissiones, quas
habuimus, vel fuisse completas ante ca-
ptivitatem 70. annorum, & in ipsis 70.
annis, vel promissiones fuisse propter
peccata illorum, quibus promissiones
sunt totaliter impeditæ, sicut propono
coram te, Domine mihi. Exempli gra-
tia: Ista pauca dicuntur in Ezechiele:
*Si feceritis justicias meas, & mandata mea
servaveritis, congregabo vos de quatuor
partibus mundi, & levabo vos, & addu-
cam vos per mare, & reducam vos in
Dominum sanctam vestram.* Ecce quod id,
quod

quod Dominus nobis promittit per Ezechielem in predictis verbis , & aliis locis libri ejusdem Prophetæ , jam completum est pluries ante illam captivitatem 70. annorum , & omnes promissiones Domini tales maiores , & minores , quot in diversis locis sacrorum librorum continentur , completæ fuerunt , antequam caderemus in istam ultimam captivitatem , quæ non habet finem , modo jam sumus in millesimo anno , & ultra , nec in aliquo libro Prophetarum ejus terminum invenimus , nec ullam Dei promissionem , ubi enim agit de liberatione , & congregatione , non intellegitur de ista captivitate perpetua , sed de illis tribulationibus , & dispersionibus , ante dictos 70. annos ; nec postea congregatio de dispersione promissa est nobis. Unde oportet , quod post istos 70. annos commiserimus illud peccatum magnum , propter quod Deus sine termino punit nos , in quo peccato sumus , & manemus omnes , aliter Deus misericordiam suam non continuasset in nobis ira tam longa. Nam videmus per scripturas , quod omnia peccata , quæ commiserunt patres nostri ante 70. annos

præ-

prædictæ captivitatis punita fuerunt , &
de multis exempla hæc pauca induco.
Peccaverunt patres nostri ante 70. annos , qui exiverunt de Ægypto , & pro-
missio eis facta in eis locum non habuit ,
sed in peccatis suis in deserto mortui
sunt. Peccavit ipse Moyses , ad aquas
contradictionis , & terram promissionis
non meruit. Peccavit ipse Aaron , &
portavit pœnam. Heli Sacerdos pec-
cavit , & ruptis cervicibus expiravit ,
& posteritas ejus Sacerdotio privata est ;
& tamen Deus promiserat Sacerdotium
in æternum. Sed hujusmodi promissa
intelliguntur semper , nisi propter pecca-
ta demereantur accipere , ut patet in Re-
gno David , quod carnis posteritas ejus
privata est regno. Sicut etiam Deus
verus , & gloriosus promisit Abrahæ ,
& semini suo terram illam in æternum
possidendam , & frequenter perdiderunt
eam propter peccata sua , & frequen-
ter restituit illis Dominus usque ad ul-
timam vicem , qua perdiderunt , jam
sunt mille anni , & ultra , & jam non est
spes recuperandi eam , quia manemus
omnes in eodem peccato , propter quod
terram nostram perdidimus. Et , Do-
mine ,

mine mi , multum mirabile est , quod
cum omnes concordemus oportere ,
quod post captivitatem 70. anno-
rum in Babilonia peccaverimus con-
tra Deum maximo peccato , tamen
nullus sit qui dicat , quodnam sit
id peccatum propter quod incurri-
mus tanta mala ? & si aliquis nostrum
cognoscat nostram causam , & pecca-
tum propter quod incurrimus tanta
mala , nullus tamen id aperit proximo
suo ; nec ipsemet qui cognoscit in suam
convertit utilitatem , sed omnes jace-
mus prostrati , & videmus manifestè ,
quod in prædicta captivitate 70. an-
norum erat Deus cum patribus no-
stris in Prophetis id est Hieremia , &
aliis Prophetis , & dedit eis Salathiel
Ducem , & principes & Sacerdotes ,
cum quibus exiverunt de Babylone
peracta pœnitentiâ , & placato Deo
ædificaverunt Hierusalem , & templum ,
& alias Civitates , & effudit Deus su-
per illos misericordias suas copiose .
Et tamen in ista captivitate nullus Pro-
pheta nobiscum est , nec Deus ut ap-
paret . Igitur Domine inquiram , &
non cessabo querere quodnam pecca-

tum sit illud tantum , propter quod sumus in hac captivitate mille annis , & ultra , nec habemus Prophetam nec Regem nec Sacerdotem nec Altare nec Sacrificium nec unctionem nec incensum nec Purificationem , imo facti sumus abominabiles toti mundo sicut Deo , & contemptibiles , in solo corde tantum nostro regnat superbia , quâ nosipsoſ præferimus toti mundo . Et quod super hoc sentio pandam tibi Domine mi , nec minus , quicquid eveniat nos Dei sumus.

C A P I T U L U M VI.

*Quod sit illud peccatum propter quod Ju-
dæi sunt in hac captivitate.*

Nunc ergo Domine mi paveo , ne id peccatum , propter quod sumus in hac desolatione , & in captivitate ista , sit illud peccatum super quo locutus est Deus per Prophetam Amos 51. cap. cum dicit sic : *Super tribus sceleribus Juda convertam vel trans-feram Israel.* Nota , quod ubi biblia nostra dicunt , *convertam* , hic habet :

trans-

transferam, & est ad propositum ejus magis, & super quarto non transferam eos, quoniam vendiderunt justum pro argento. Et nos Domine mi secundum doctrinam nostram dicimus, quod iste Justus fuit Joseph filius Jacob venditus a fratribus suis in Egypto, & sic tenerem & ego nisi sermo divinus posneret istud peccatum venditionis, quartum in numero peccatorum seu scelerum Israel: Ipsi enim Christiani, quibus Sanctorum librorum studium videotur esse traditum a Deo, respondent doctrinæ nostræ prædictæ, & dicunt; quod *primum* in quatuor sceleribus Israel, est venditio Joseph a fratribus suis, & *secundum* peccatum sive scelus assignant adorationem vituli in Horeb, & *tertium* scelus occisionem Prophetarum, propter quod fuimus captivati in Babilonia 70. annis, & dicunt quod *quartum* scelus Israel fuit venditio justi scilicet JEsu, qui ad litteram fuit venditus post transmigrationem præfatam 70. annorum. Et si nos Domine volumus tenere præfatam doctrinam nostram, & respondere Christianis, oportet nos assignare in Israel varia sceleræ.

quæ venditionem Joseph præcesserint,
ut ipsa venditio Joseph sit *quartum sce-
lus*. Sed hoc non poterimus sustinere,
quia testimonium libri Genesis est con-
tra nos, qui venditionem Joseph ponit
primum scelus filiorum Israel, & Pro-
pheta Amos ponit expressè quartum
scelus venditionem justi, propter quod
fuimus in captivitate, de qua loquitur
Deus comminans; quod non reducet
nos ultra in terram promissionis cum
dicit: *& super quarto non transferam eos,*
quoniam vendiderunt justum pro argento.
Et manifestè apparet mihi, quòd nos
super illo peccato *quarto venditionis*
justè, sumus puniti jam sunt mille an-
ni, & ultra, in quo tempore nil profi-
cimus inter gentes, nec est spes profi-
ciendi amplius.

C A P I T U L U M VII.

*Quod justus JESUS Christianorum Deus in-
justè venditus fit.*

EXpavesco Domine mi, & timeone
iste Jesus, quem colunt Christiani,
fit ille justus venditus pro argento se-
cun-

cundum Amos Prophetam , & vereor
ne de ipso sint hæc , quæ mihi occur-
runt testimonia Prophetarum , & illa
eadem in doctrina sua valde aperte ap-
plicant Christiani. Isaias Propheta pri-
mo cap. dicit : *Væ genti peccatrici filiis
sceleratis , quoniam ipsi elongaverunt se a
Deo , & blasphemaverunt sanctum ejus , &
inclinati sunt retrorsum.* Item idem Pro-
pheta dicit : *Quasi ovis ad occisionem du-
ctus est , qui non aperuit os suum.* Item
dicit : *Vir habens dolorem , & sciens in-
firmitatem.* Item : *fuit despectus , & pro-
pter hoc non reputavimus eum , ipse enim
oblatus est , quia ipse voluit.* Item : *de an-
gustia judicii depositus est ; generationem ejus
quis enarrabit ?* Item : *propter culpam po-
puli mei transfixi eum , & dabit injuriato-
res pro sepultura , & divites pro morte
sua.* Et timeo Domine mi , quod in-
juriatores fuerunt patres nostri , & di-
vites Pilatus , & Herodes , & Anna ,
& Cayphas , sicut dicit Propheta Da-
vid : *Consurrexerunt omnes reges terræ ,
& majoris , & contra Deum , & contra
Christum ejus.* Reges : scilicet prædicti
divites. maiores : scilicet patres nostri.
Et timeo Domine , quod iste JESUS sit

ille commutatus , & venditus pro ar-
gento , de quo loquitur Zacharias Pro-
pheta , & Amos , & alii Prophetæ.
De quo etiam loquitur Isaias Prophetæ
cap. 53. *Deponet omnes iniquitates , &*
orabit pro infidelibus. Timeo ego Do-
mine mi , quod iste JESUS sit ille ju-
stus , de quo dicit David in psalmo 73.
Delectati sunt in animam justi , & sanguinem
innocenter condemnabunt , & pro-
pier hoc ejecit eos Deus , & disperdet illos
Dominus Deus noster. Et timeo Domine
mi , quod iste sit ille justus , de quo
loquitur Jeremias cap. 9. cum dicit :
Homo est , & quis est , qui intelligit eum ?
Item Jer. cap. 10. *Species vultus nostri*
Christus Deus captus est pro peccatis nostris ,
Cui diximus : In umbra tua vivemus inter
gentes. Timeo etiam Domine mi , quod
iste sit ille justus , de quo dixit Deus
per os Zachariæ Prophetæ cap. 13.
Dicetur enim in illa die : quæ sunt istæ
plagæ in palmis tuis ? Et respondebit : Pla-
gatus fui in medio domus meæ , inter illos
qui dilexerunt me , & levabit ensem pastor
meus supra me. Item cap. 12. *Aspicient*
ad me die illa , & illum quem tranfixerunt ,
& plangent super illum quasi planctum uni-
geniti ,

*geniti, Timeo etiam domine mi, ne
iste fuerit justus ille de quo dicit Habacuch, cap. 3. Cornua in manibus ejus:
ibi abscondita est fortitudo ejus, &c. Et
concordat Evangelium Christianorum
ubi narratur mors IESU, & ostendunt:
Cum autem venissent ad IESUM, invenerunt eum mortuum, & misit unus ex eis
lanceam suam, & transfixit. Paveo Domine mi, ne iste sit justus, de quo dicit Habacuch cap. 13. Egressus es Dominus salvare populum tuum cum Christo tuo.*

CAPITULUM VIII.

*Quomodo post occisionem Christi facta est di-
spersio Iudeorum secundum Danielem.*

Expavesco Domine mi super his quis
sit iste justus sine peccato de quo
loquitur Isa. Propheta. Et quis sit ille
justus venditus pro argento, propter
quod dicit Dominus per Amos Prophetam uti supra: quod in testimonium
*quarti sceleris non transferet eos in ter-
ram promissionis amplius. Videtur etiam
Domine mi, quod completum sit, quod
scribitur Dan. 9, cap. ubi dicit. Postquam*

consumatæ fuerint 62. Hebdomadæ , occide-
tur Christus , & tunc veniet populus cum
principe venturo , & destruet Civitatem .
& domum comminuet , & dissipabit eam .
& auferetur sacrificium , & consumabitur
destructio perpetua . Et non est dubium
Domine mi , quin distractio desolatio-
nis perpetuae sit captivitas ista , in qua
sumus , jam sunt mille anni . Et aper-
tè dicit Deus per Prophetam , quod
erit desolatio perpetua post occisionem
Christi , sicut est desolatio nostra post-
quam JEsus fuit occisus ; nec commi-
natus est Deus nobis perpetuam deso-
lationem nisi post occisionem Christi .
Et si voluerimus dicere , quod antemor-
tem JEsu fuimus in desolatione ; Ad
hoc respondent nobis Christiani : quod
ante mortem illam non fuit desolatio
nisi 70. annis , & postea fuimus reducti
in terram promissionis , & fuimus apud
Deum in gratia , & honore . Certe
Domine mi , ego non video evasionem
contra prophetiam istam , quia defa-
cto probatur nobis , quod postquam a
reædificatione fuerunt completæ 62. heb-
domadæ sive a promulgatione Edicti 69.
tunc fuit JEsus occisus a Patribus nostris

sci-

scilicet in ipso currentis Hebdomadæ Danielis septuagesimæ anno quarto. Seu anno ab exitu sermonis 487. anno autem mundi 4036. & postea venit Dux scilicet Titus, & populus Romanus, & fecerunt nobis secundum Prophetiam istam, hodie sunt mille anni, & ultra, & nihilominus si in ira Dei sumus, & tamen in ipso speramus, Et si dicamus, quod Christus venturus est, & nondum venit, & rehabetebimus terram promissionis, & reædificabimus Civitatem, & habemus gratiam Dei, & honorem in terra nostra, & ista desolatio non erit perpetua; Respondebunt Christiani: Ergo adhuc manet vobis occisio Christi, & adventus Titi, & populi Romani, & desolatio peior ista in quam fuistis per mille annos. Hec Domine mi non est excusatio nec evasio confona. Sed tamen quicquid contingat, Dei sumus in omni casu, si in eo speramus.

CAPITULUM IX.

Quod duo sunt adventus Christi.

Timeo Domine mi, ne Christus jam
venerit, jam adimpleverit pri-
mum adventum suum, quia in scrip-
turis nostris invenimus duplēcēm ejus
adventum. Primus **adventus Christi**
describitur in prophetis in paupertate,
& humilitate. Secundus in gloria, &
majestate. Et de utroque adventu pro-
ponam illa, quæ mihi occurrunt. De
primo adventu dicit Deus per os Za-
chariæ cap. 9. *Lætare filia Syon, ecce
præceptor tuus venit pauper equitans as-
num.* Et in isto adventu describit eum
*Isai. despectum, Daniel occisum, Zacha-
rias, & Amos venditum, quæ omnia,
uti in libello discripsi & descripam,*
jam fuerunt completa, non reputavimus
eum, nec cognovimus eum sicut dixit Isaias
Propheta, sed despeximus eum, & præ-
valuimus contra eum. Sed gloria ejus &
majestas ejus erit manifesta in secundo
ejus adventu, quando *ignis, & flamma
præcedet eum, & exardescet, & inflam-*
mā-

mabit in circuitu inimicos ejus. Sicut dicit Deus per os Prophetarum David, & Isaiæ. Et timeo Domine mi, ne Christus non sit judicaturus aliter quam cum igne ad mortem, quia nos interfecimus omnes Prophetas, qui annunciarerunt nobis de ipso, prout Deus testificatur contra nos per os Eliæ Prophetæ quarto libro Regum. Et sic interfecimus illum justum propter quem sumus in ira Dei sine fine, attamen, Dei sumus.

CAPITULUM X.

De primo Adventu Christi.

Timeo Domine mi ! Deus describit aperte duos adventus Christi per os Isaiæ Prophetæ cap. II. cum dicit : *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini.* Bis dicens *consurge* propter ejus duplarem adventum, & singillatim clare primum Christi describit adventum quantum ad passionem, & dejectionem cap. 50. & 53. per totum. Et specialiter cum dicit : *Vidimus eum, et non erat aspectus, et species me-*

neque decor, &c. Primum ejus adventum ponit Isa. cap. 9. cum dicit: *Parvulus natus est nobis.* Et statim subjungit secundum ejus adventum, cum dicit: *Et vocabitur fortissimus Gigas, potens super tronum David sedebit, ut confirmet illum ab initio usque in eternum.* Zacharias autem Propheta describit eum pauperem, & sedentem super asinum cap. 9. Et quid aliud est hoc, nisi quod Propheta describit primum adventum in humilitate, & secundum in potentia, & maiestate. Sic etiam describit eum Daniel cap. 7. circa medium ubi dicit: *Considerabam vel aspiciebam in visione noctis, & ecce in nubibus celi quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, omnes populi tribus ac linguae adorabunt eum, & servient ei.* Hebræus habet: *tribus ac linguae honorabunt eum, & non deficiet potestas ejus, quis non auferetur, & regnum ejus manebit in eternum.* Nostra autem translatio habet: *tribus ac linguae servient ei, potestas ejus potestas æterna, qua non auferetur, & regnum ejus quod non corrumperetur.* Alias:

Domine non deficit potestas ejus. Alias potestas ejus in aeternum, & regnum ejus manebit in aeternum. Alias: non corruptetur. Et manifestum est Domine mihi, quod in secundo adventu sedebit Christus ante antiquum dierum, qui est Deus, ad iudicium, sicut sedet in primo adventu ante patres nostros Iudeos, ut judicaretur. Et istos duos adventus Messiae, id est Christi, innuit Propheta David in Psalmo cum dicit, *quia venit quoniam venit judicare terram.* Propter primum ejus adventum, qui fuit simplex, dicit, *quia venit*, propter secundum vero, quia erit cum potentia, dixit, *quoniam venit judicare terram.* De secundo ejus adventu loquitur Zachar. cap. 14. cum dicit: *Impriment vestigia pedes super montem olivarum &c.* Et nos Domine non dicimus, quod Deus in essentia sua, & natura habet pedes nec carnem nec ista quae corporis sunt, sed habere pedes convenit omni creaturae corporeae. Dicit etiam David Propheta, quod supra allegatum est loquendo de secundo ejus adventu: *Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus inflammabit.* Sed Domine non dicimus, quod Deus sit circum-

euinscriptus, quod aliquid possit esse in circuitu ejus in quantum Deus, sed autoritates similes habent veritatem ad litteram in illo justo quem Prophetæ describunt, nunc loquentes de ejus humilitate, nunc de ejus majestate, & de hoc loquitur Malachias cap. 3. cum dicit: *Ecce Dominus venit, et quis poterit stare ante adventum ejus? Ipse enim quasi ignis conflans, et sedebit, et liquefaciet argentum, et aurum.* Ecce qualiter justus ille, qui fuit judicatus, veniet in secundo adventu. Et attende Domine mi, qualiter describit eum ibidem Propheta in eodem cap. 3. cum dicit: *Tunc ego veniam, et intrabo in iudicio ad eos, et ero testis verax super adulteris, et malis, et perjuris, et super iilos, qui defraudant mercedem mrrcenarii, et qui spoliant pupillos, et viduas, et opprimunt peregrinum, et pauperem.* Et idem Domine mi describit Ezechiel, cum dicit. cap. 34. ubi loquitur de Pastoribus, & ovibus dicens: *Ego separabo ab eis, scilicet a justis, transgressores, et incredulos.* Hæc non habet translatio nostra, sed in arabico dicit sic: O Domine mi! ecce, quod in secundo adventu separabit in-

cre-

eredulos de medio justorum, sicut etiam dicunt Malachias, & Ezechiel clare: & in primo adventu nemo nostrum cognovit eum, quia exiverat limites humanæ naturæ. Sicut dicit Deus per os Isaiae Prophetæ cap. 53. *& inter iniquos computatus est, & propter hoc non repudivimus eum,* & Hierem dicit. cap. 18. *Ipse est homo, & quis scit eum?* Et timeo Domine mi, patres nostros in primo adventu Messiae defecisse, & errasse, & propter hoc nos esse in ista captivitate, quæ non habet finem, & tamen quidquid contingat, Dei sumus, si in ipso speramus.

C A P I T U L U M XI.

De Secundo Adventu Christi, quod tunc sit cum potentia judicaturus.

Domine mi paveo, ne iste justus iudex sit ille, qui judicaturus est cum potentia in adventu secundo, & qui fuit salvator in adventu primo omnium, qui crediderunt in eum, quoniam Propheta David de illo dicit: *Notum fecit Dominus salutare suum, & in conspectu gen-*

tiuum

zium revelavit justitiam suam. Adhuc dicit Isaiae cap. 12. Haurietis aquas de piscinis salvatoris, quod dictum, secundum videre meum, intelligitur de baptismo. Nam in primo adventu salvavit per aquam, & in secundo iudicabit per ignem, Et de isto salvatore dicitur Domine mi Job. 19. Scio, quod Salvator meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea oculi mei videbunt Deum meum Attende Domine mi, quod vocat istum Salvatorem Deum. Constat autem, quod oculi carnis non videbunt Deum. Ecce habemus secundum scripturas, quod Salvator sit iste Deus justus, de quo est sermo, & solus potest dici verus Justus, quoniam nullum peccatum fecit, secundum quod de illo Deus testificatur per os Isaiae Prophetæ : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Nec de Moysè nec de aliquo Prophetarum dicitur, quod sit Salvator justus, & sine peccato, quia Moyses peccavit, & omnes Prophetæ peccaverunt, sicut vos scitis Domine mi! Et idcirco nullus eorum vocatur justus in scriptura, sed illud nomen isti soli servatur, & sine dubio

bio non salvantur nisi hi qui credunt
primum adventum suum, & alii qui
non credunt, non habent causam ali-
quam, cur salventur in secundo ad-
ventu ejus, sed digni sunt morte, quia
digni erant morte illi, qui non crede-
bant Moysi, & non obediebant ei, qui
fuit peccator, quanto magis digni sunt
igne illi, qui non credunt, & blaſphe-
mant istum justum, & Dominum, qui
peccatum nescivit unquam, quicquid
tamen eveniat, Dei sumus nos.

CAPITULUM XII.

De Christi Ascensione.

Domine mihi, nos invenimus in scrip-
turis, quod Christus exaltabitur de
terra ad cœlum, & ego vereor, ne illud
jam sit completum in isto, qui fuit in-
terfectus a patribus nostris, & de ista
exaltatione dicit David Propheta in
Psalm. 23. *O magnates aperite portas prin-
cipatus vestri, & elevamini portæ aeternales,
& introibit princeps gloriae.* Et attende
Domine, quod Illi respondent Angeli:
Quis est iste Princeps gloriae? & ipse re-
spon-

spondet illis : *Dominus virtutum fortis in prælio.* Et constat Domine mi, quod justus iste Dominus virtutum non habuit prælium nisi in primo adventu suo , quia quando sedebit ad judicandum, ignis in circuitu ejus exardescet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus , & conflagabit justos per ignem quasi argentum, & hoc in ultimo ejus adventu : Nullus autem præliabitur contra illum , nec locus erit pugnæ. Adhuc de justi hujus exaltatione dicit Isa. cap. 63. *Quis est iste , qui venit de domo de terra rubens vestimentis ejus de bosra , sicut ille formosus in stola , & respondet his justus iste : Ego qui loquor justitiam , sum expugnator ad salvationem , & dicunt ei Angeli : O Domine , quare rubrum est vestimentum tuum sicut calcantis torcular?* Respondet dicens illis : *Torcular calcavi solus , & non eras vir mecum.* Vide Domine mi , quam proprie loquitur Isaias , & timeo , ne hujus justi responsio non tangat nisi nos, cum dicit : *Calcavi eos in ira mea , donec aspersus est sanguis eorum super indumenta mea , & inquinata sunt omnia vestimenta mea ; Sed dies ultionis in corde meo , &*

annus retributionis meæ venit. Quantum
 ergo sperare possimus in justo isto Do-
 mine ini, ubi scimus ipsum de nobis
 Angelis suis conquestum in Cœlo, &
 notificasse eis, quod ipse calcaverit tor-
 cular solus ? Et quid aliud calcavit in
 ira sua nisi nos, qui post bellum quod
 habuit in primo adventu suo, pro-
 strati sumus ab eo, & calcati, jam
 sunt mille anni, & adhuc restat dies
 ultionis in ultimo ejus adventu, & an-
 nus retributionis in corde suo ? Utinam
 Domine mi, quando interfecimus Isai-
 am, delevissimus istam auctoritatem
 prædictam de prophetia sua, quæ nun-
 quam legeretur ab aliquo ! Et ecce,
 quod David vocat bellum, cum dicit
Dominus virtutum fortis in bello, hoc Isaias
 vocat torcular. Heu Domine mi, nos
 bibimus mustum illud, de quo etiam
 dicit Jacob Patriarcha, & Propeta, ut
 habetur in libro generationis creatura-
 rum cap. 49. de Juda. *Lavavit stolam*
in sanguine, scilicet uvæ, sicut est factum
 in nobis in primo adventu Messiae,
 sed quid faciemus in adventu ejus ul-
 timo, quando stabunt homines coram
 homine judicante, & in circuitu ejus

erit ignis paratus ad devorandum illos
contra quos tulerit scentiam? Tunc
enim non erit tempus belli, nec jam in-
torculari calcabitur, quia jam ex tunc
non erit locus, nec tempus pœnitenti-
di, nec refugii, sed justitia, ut, sicut
ipse judicatus fuit sine peccato, quod
inveniretur in eo, sic ipse judicet pec-
catores. Dicit enim Deus in prophe-
tia Salomonis Proverbiorum duodecimo:
*Quando justus recipiet judicium ubi erit
impius, & peccator? Unde si justus vix
salvabitur, quid erit tunc de impiis?*

CAPITULUM XIII.

*Adbuc fortius probat corporalem Ascensionem
Christi.*

VAlde timeo Domine mi, quod hæc
quæ dicta sunt testimonia Pro-
phetarum de illo justo; quod scilicet
fuerit venditus pro argento, ut dicit Amos
Propheta, quod calcaverit torcular, ut
dixit Isaías; quod gesserit bellum cum
patribus nostris sicut dicit David; quod
captus fuerit in peccatis nostris sicut dixit
Jerem. quod vulneratus fuerit in palmis
suis,

suis, sicut dixit Zach. quod super ejus vestem missæ fuerint sortes, sicut dicit David, quod ascendit in cœlum sicut dixit idem Propheta & alii, timeo, quod non convenientia Deo in essentia sive in natura divina, secundum quam nec resurgit nec exaltatur nec sedet nec descendit. Ex his, quæ dicta sunt, sequitur necessario, quod jam venerit ille justus, cuius naturæ corporeæ hæc prædicta & similia poterunt convenire. Si autem tibi videtur forte durum credere, Domine mi! quod homo corporeus ascendet in cœlum, audi authoritates, & exempla quæ mihi occurunt de scripturis nostris. Et super hoc dicit David Propheta de illo : *Ascendit Dcus in altum & salvabit captivitatem, dedit dona hominibus.* Dicit etiam in Psalmo 67. de ascensione ejus : *Jubilate Deo & glorificate nomen ejus, iter facite ei, qui ascendit de partibus occidentis, Dominus nomen illi.* Adhuc Domine mi, dixit David de illo in Psalmo, quem tu habes in corde. *Jubilate Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad orientem.* Et de isto dixit Amos cap. 9. *Dominus est qui adificavit in excelso sedens suam.* Et de ipso dicit etiam David :

Ascendit Deus in jubilo & Dominus in voce tubæ. De ipso etiam dixit Afer Prophetæ cap. 3. *Vide hominem descendente de corde maris, & pervenit usque ad cœlum.* Et quia non habemus istam Prophetiam, omisi multa scribere quæ allegat super hoc, immo habemus eum, sed ipse tunc nescivit quod Aggæus in latino vocaretur Afer in arabico. Dicit etiam Moyses in cantico deut. 32. *Levabo ad cœlum manum meam, &c.* dicit etiam Esa. cap. 21. *Consurge consurge brachium Domini.* De isto etiam ait Anna mater Samuelis primo Reg. cap. 2. *Dabit Dominus imperium regi suo & sublimabit Christum suum.* David etiam dixit: *Ascendit Dominus super pennas ventorum.* Et hæ authoritates occurunt mihi ad probandam exaltationem Christi corporalem usque ad cœlum & sunt plures aliæ, quas tu Domine bene scis. Nunc etiam exempla aliqua adducam de lege nostra, quia videtur etiam nobis multum inconveniens credere, quod in corpore ascenderit in cœlum & hoc est propter considerationem, nam in lege, & in prophetis invenimus, quod Deus verus & gloriosus assumpserit de terra,

&

& elevaverit plures sanctos viros patres nostros. Et si de istis non dubitamus propter eorum sanctitatem, & propter testimonium scripturæ, quare dubitamus de Ascensione istius Justi in corpore, & anima, cui magis scriptura perhibet, quam illis, testimonium sanctitatis? Et quia durius bellum secundum Prophetas sustinuit, & plures captivations mundi quam aliquis de prædictis? Et præterea Domine sine exempli positione scis, quod Matusalem, & Enoch Justi, & Elias Propheta fuerunt assumpti à Deo de mundo isto in corporibus suis. De Moysē etiam non est dubitandum, quin sit in cœlo in corpore, & anima, ut dicitur Deut. 34. *Dixit Deus ad Moysem: Ascende in montem noëtē, & morere ibi, & ascendit in montem, & mortuus est ibi. Et nescivit homo sepulchrum ejus usque in hodiernum diem.* Et quid aliud significat, quod sepulchrum ejus sit ignotum in terra, cum tamen ipse fuerit Propheta major, & sanctior aliis, nisi quod Deus resuscitaverit eum, & assumperit eum, in corpore, & anima sicut alios justos assumpsit, &

elevavit ad locum ubi sunt? Nec nos debemus mirari supra hoc, quod aer iste levis, & subtilis posset portare corpora tam grossa, & ponderosa, quia quando fuit acceptum sacrificium, ignis descendit de cœlo, & elevavit, & portavit corpora pecorum, & boum, quæ offerebantur Deo. Moyses vero, & Elias Prophetaverunt de illius justi elevatione, ac alii. Unde cum oportet nos esse credentes de elevatione corporearum dictorum Sanctorum, cur sumus increduli de elevatione istius justi, & eum elevatum esse in cœlum, de quo tot sunt testimonia Prophetarum in scriptutis, sicut dictum est, negamus? Et posset inferri: satis apparere, quod Deus assumperit prædictos Sanctos, de quibus nullus dubitet; ut ad fidem disponerentur corda hominum, & ut de Ascensione sui justi etiam non dubitarent. Est autem, & alia causa quare, & ipsi nostri dubitant, quia adventus ejus primus fuit occultus, & modus insolitus, sicut dicit Isa. *Homo est, & quis cognoscet eum?* Idem Propheta etiam dicit: *Virgo concipiet, & pariet filium.* Ubi advertendum est, quod tacet de Patre se.

secundum carnem, & propter hoc quod alibi dicit, *non reputavimus eum.* Et Jere. cap. 31. dicit. *Signum novum creavit Deus super terram, mulier circumdabit &c.* dicit etiam Michæas cap. 5. *Propter hoc dabit eis Deus usque ad tempus in quo parturiens pariet.* Et notandum, quod non facit Propheta mentionem de Marito istius parturientis, cum inquit nativitatem istius justi, qui solum natus est præter solitum modum consumque carnalem qui est ex viro, & fœmina, sicut de illo prædictum est per os Isa. cap. 9. cum dicit: *Audite domus Jacob, Deus dabit vobis signum, Virgo concipiet &c.* Omnes autem aliij Sancti., qui dicti sunt, nati sunt de fœmina, & viro, carnaliter concepti in peccato, & omnes fuerunt peccatores, & ipse Moyses sanctior parentibus Prophetis peccavit, & confitetur per os suum se peccasse, de justo autem isto dicitur per Isaiam cap. 53. *Qui nunquam peccavit, nec inventum est mendacium in ore ejus.* De aliis omnibus Sanctis dicit Deus per os Job cap. 25. *In omnibus Sanctis suis non est inventus sine pravitate.* Et Jere. Propheta dicit cap. 17. *Corda hominum prava.*

CAPITULUM XIV.

De cæcitate Judæorum, quod non credunt Christum advenisse, nec intelligunt.

TIMEO Domine mi, quod sit comple-tum in nobis, quod dixit Dominus per Isaiam Prophetam: *Cecidit cæ-citas super Israel quoisque intravit plenitu-do gentium.* Et iterum dicit cap. 6. *Au-dientes audient, & non intelligent, & vi-dentes videbunt, & non cognoscent.* quia corda istius gentis sunt ingrossata. Et adhuc eodem cap. *Excæca cor populi bujus, & obdura aures ejus, ne forte ad-diseant, & convertantur ad me, & sa-nem eos.* Et dixit Isaias: *Usquequo Do-mine sint civitates desertæ, & maneat do-mus sine habitatore?* Dixit etiam Daniel cap. 12. *Claude sermones, & involve pro-prietiam.* Et Jere. 17. *Peccatum Judæ-criptum est stylo ferreo in lapide adam-an-tino, & extensem super latitudinem cordis eorum.* Et Isa. cap. 1. *Cognovit Bos pos-sessorem suum, & Asinus Präsepe Domini sui, populus autem meus non iutellexit.* Et iterum 8. *Milvus, & birundo, & cico-*
nia

nia sciuit tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit me. Et hæc omnia Domine mi dicta sunt propter nos, quia non cognovimus adventum istius justi Domini. Et de nobis dixit Dominus per Isaiam cap. 43. *Elongate foras gentem cœcam, & non habentem oculos, surdam, & non habentem aures, ecce omnes congregati sunt, & quid voluit dicere Propheta per hæc verba? nisi quod Deus nos repulerit, quia non cognovimus tempus istius justi citius.* Et congregaverit ad se in Fide gentes loco nostri. Super quo admiratus David dixit in Psalmo 76. *Hec est mutatio dexteræ excelsi.* Attamen Dei summus in casu isto nostro, & in captivitate ista, quæ non habet finem, in qua sumus, jam sunt mille anni, qualem captivitatem tamen non sustinuerunt Patres nostri, qui adoraverunt Idola, & occiderunt Prophetas, & transgressi fuerunt legem ex toto corde suo.

CAPITULUM XV.

Quomodo cœcitas Iudeorum, & incredulitas circa Christum fuerit prænunciata per Prophetas.

Timeo Domine mi, quod, quia non credimus in isto justo, idcirco acciderit nobis, & completum sit illud, quod dixit Deus per os Isa. cap. 19. *Fuit Prophetia tanquam vcrba libri clausi, qui dabitur lectori, & dicetur : Iste liber clausus est, nescio, quid est in eo, & tunc dabit nescienti litteras, & dicet, non sum lector ego.* Et quæ clausura libri major est Domine, quam clausura qua clausit Deus corda nostra, jam sunt mille anni, & ultra ? nec possumus cognoscere per prophetiam nobis traditam a Prophetis super adventum istius justi, propter quod alibi dixit Deus per Prophetam : *Desolabitur Jerusalem, & corruet domus Sancta,* dixit etiam cap. I. *Terra nostra deserta, Civitates nostra succensæ igne, & remanebit Syon sicut iugurum in vinea dissipata.* Dixit etiam Isaias cap. 25. *Dominus Deus exaltabo nomen tuum, quia per sui*

suisti Civitatem in tumultum, & domum in
 confusione, ut non sit usque in æternum.
 Et cap. 30. dixit: Conteret populos con-
 tritione vas fragilis in quo non remanet pars
 ad portandum carbonem ignis, nec haurien-
 dam guttam aquæ. Completum est etiam
 Domine mi, quod dixit Daniel cap. 9.
 Postquam fuit occisus Christus, remane-
 bit desolatio perpetua, in qua desolatione
 sumus, jam sunt mille anni, & ultra.
 Dixit etiam Isa. cap. 24. Relicta est in
 urbe solitudo, & sibilabit terra eorum sibilo
 usque in sempiternum. Dixit etiam Jere.
 cap. 16. Argentum reprobum vocate illos,
 quia Dominus projecit eos. Dixit etiam
 Isa. cap. 50. Ambulate in lumine ignis
 vestri, & in flammis quas succendistis ve-
 bis, in quibus flammis nos summus,
 jam mille anni sunt. Et dixit etiam
 Amos cap. 5. Domus Israel cadet, & non
 est, qui erigat eam. Et videtur mihi Do-
 mine, mi quod Deus induxerit super
 nos ruinam istam post adventum justi
 hujus, postquam Propheta nullus surre-
 xit in nobis, nec surget sicut propheta-
 tum est nobis, quia nos manemus in
 incredulitate non recipientes fidem il-
 lius, sed negantes. Dixit etiam Oseas
 cap.

cap. 1. Cum accubuit mulier super terram, & peperit, dixit Deus, *voca nomen ejus sine misericordia, quia non miserebor populo huic.* Et si Deus project nos, & non miseretur nostri, ut experti sumus, jam sunt mille anni, & ultra, quæ utilitas est nos habere legem Circumcisionem, & Sabbatum? dixit Isaías cap. 53. *Educ foras populum cœcum,* sicut eduxit nos de terra nostra Deus verus, & gloriosus, jam sunt mille anni, & ultra, dixit etiam idem cap. 26. *Vetus error abiit.* Et quid est antiquum nisi lex nostra, quæ recessit a nobis Domine mi, cum Rege, cum Sacrificio, cum Incenso, & cum Altaribus, & quid pejus nobis poterit evenire? Et quid est, quod nos expectamus? Nonne videimus, quod dispergit nos per quatuor partes Mundi in dispersionem? sicut dixerunt nobis Moyses, Jeremias, & Isaías, & alii Prophetæ. Et tamen nos Dei sumus, & ad ipsum recurrimus in omni eventu.

CAPITULUM XVI.

Ostendit reprobationem *Judeorum* propter eorum perfidiam, & electionem gentium propter eorum fidem,

Timeo Domine mi, cum nos dicimus inter nos: ego, & tu etiam sumus filii Jacob, & Israel, ne jam comple-
tum sit illud, quod dicit Deus per os Isa. cap. 74. *Interficiet te Deus o Israel, & vocabit nomine alieno.* Paveo, quod de illis servis sumus, quibus debet imponi illud nomen, secundum quod Moy-
ses dixit deut. 28. *Erunt gentes in capite, & populus incredulus in cauda,* sicut nos sumus, jam sunt mille anni, & ultra. De illis etiam dixit Jer. cap. 12. *Replebitur terra fide Dei, & redundabit sicut aqua maris.* & de illis dixit Salomon 3. Reg. 8. *Dominus Deus cum venerit alienigena ad Domum Sanctam tuam, & invocaverit nomen tuum benedictum, exaudi eum Domine Deus meus, ut discat universa terra nomen tuum timere sicut populus Israel.* In quo ergo gloriabimur Domine mi, & quare contemnimus gentes? Ex quo Sa-
lo-

lomon Propheta fecit eas participes in
timore Dei, & in Domo Sancta nobis-
cum, & forte nos indignos ejecit Deus
de ista Domo, & dedit eam istis, & de
illis etiam dixit Moyses. *Hac dicit Do-*
minus Deus: Replebitur terra tota gloria Do-
mini. Et de ipsis dixit David in Psal-
mo 21. *Prævenient* & convertentur ad
Dominum universi fines terræ, & mille ge-
nerationes. De ipsis etiam dixit Isa.
cap. 60. *O Domus David Sancta venit lu-*
men tuum, & Gloria Domini super te orta
est &c. Et ambulabunt gentes in lumine
tuo, & reges in splendore ortus tui. *Leva-*
in in circuitu oculos tuos, & vide, omnes
isti congregati sunt, venerunt tibi, & filii
extranei ediscabunt muros, & Principes
eorum servient tibi. Et qui sunt isti filii
extranei Domine mi, qui venerunt ad
Domum Dei, nisi gentes quæ fervie-
bant Idolis, qui erant extranei a Deo,
& ipsi Principes, & Reges eorum, de
quibus dixit Deus, *quod ambulabunt in*
lumine Domus Sanctæ, & nos erimus in
tenebris extra illam, & sumus, jam sunt
mille anni? Dixit adhuc idem Propheta
de illis cap. 65. *Ecce gentem, quam ne-*
sciebas vocabis, & nationes, quæ te non

cog-

cognoverunt, ad te venient. Et sicut de facto videmus, hodie sunt mille anni, & ultra, quia Christus missus secundum Legem nobis datam venit, & gentes, quæ legem non noverant, venerunt ad eam, & ipse dedit eis legem novam, puram & sanctam. Adhuc, cap. 45. concordaverunt, & Reges eorum congregati sunt in fide Dei. Et timeo Domine mihi de illis fuisse dictum eodem cap. Congregamini omnes, & venite gentes, quæ salvatae estis per Deum ex gentibus, & de populo. Dixit Isa. cap. 65. Quæsicerunt me, qui ante non interrogabant, & invenerunt me, qui non quærebant me, & de ipsis etiam dicit Jeremias cap. 3. Congregabuntur omnes in nomine Domini in Domo Sancta, & non ambulabunt in pravitate cordium. De ipsis idem Prophetæ dixit cap. 16. Ad te venient omnes ab extremis finibus terræ, & dicent: Non hæreditaverunt patres nostri nisi mendacium, & iniquitatem. Et de ipsis dixit Sophonias cap. 3. Datum est gentibus, ut loquerentur simul in nomine Domini, & serviant eum humero uno, omnis homo de loco suo, & omnes insulæ gentium. Et de illis dixit Zacharias cap. 2. Lætare Domus Sion,

quia ego veniam ad te , & habitabo in meo
dio tui in illa die , & appropinquabunt
Deo gentes in multitudine sua. Dicit idem
Propheta cap. 8. Hec dicit Dominus
Deus exercituum: venient gentes multae de
locis multis , & dicet vir ad vicinum suum .
vadamus , & queramus Dominum Deum
in bono. Et ista Domine mi completa
sunt nunc , & complentur in oculis no
stris de plano , vides populos , & lin
guas legere libros Legis , & Prophetar
um omnium , & psalterium dimissis
Idolis suis , nullus ex eis credit per ma
num Moysi nec Aaron , nec alicujus
Prophetarum nostrorum , nec aliquid
remanet de fide ab Idolis ab illo tem
pore , quo crediderunt Justo illi , de
quo dicit Habacuch cap. 3. Egressus es
Domine ad salutem populi tui , ad
salutem cum Christo tuo.

C A P I T U L U M XVII.

*De Vivificatione gentium, & Interfectione
Iudaorum, prout etiam videbitur in cap.
sequenti.*

Timeo Domine mi , quod Deus vi-
ctor , & gloriosus vivificat illas
gentes per fidem , & interficit nos
in incredulitate nostra , sicut ipse do-
cuit per os Isaiæ Prophetæ cap. 65.
*Pro eo quod vocavi , & non respondistis ,
hæc dicit Dominus Deus ; Ecce servi mei
comedent , & vos esurietis , ecce servi mei
bibent , & vos sitietis , ecce servi mei gau-
dent in exultatione cordis , & vos concutie-
mini præ amaritudine cordis , & interficiet
se Deus o Israel , & vocabit servos suos
nominе аlio , in quo benedixit illis , qui
est benedictus super terram Amen. Et nos
videmus receptores istius nominis bene-
dictos a Deo super faciem terræ , &
nos dispersit , scilicet in captivitate per
quatuor partes mundi , hodie sunt mille
anni , & apparent expresse in nobis ve-
stigia iræ Dei , non ad castigationem
sed ad destructionem , & illa est inter-*

fectio, quam Deus comminatus est, quod interficiet Israel, & illæ gentes vivæ, quas vocat servos, recipient nomen, quod Deus permisit, sed non ante mortem nostri nominis primi secundum ordinem verborum Dei per Isaiam, & fames & s̄ites, quas patiemur, non est panis aut aquæ, sed cordium & animarum sterilitas, & fames verbi Dei, sicut Prophetæ declarant per os Amos cap. 8. & tu Domine scis hoc plenius, quam ego, verumtamen Dei sumus in omnibus, quæ accidunt nobis.

CAPITULUM XVIII.

Quomodo gentes per fidem vivificantæ habent mundas observantias novæ Legis.

Timeo Domine mi, quod gentes, quæ justificantæ sunt, jam sunt mille anni postquam fuit mortuus JESUS in Ierusalem, quia nihil boni habuerunt antequam crediderunt in Deo, & in Christo, & in Apostolis, ipsæ forte fuerint illi pisces, & illæ bestiæ, de quibus loquitur Habacuch Propheta, quæ non habent ducem, & ipsæ gentes purificantæ per

per fidem habent jejunia sua, & obseruantias suas Legis novæ, & habent cuncta illa, quæ ad munditiam pertinent in Lege antiqua contenta Judæorum. Vides, quod in omni lingua, & in omni loco in Oriente, & in Occidente gentes sunt confitentes in nomine Domini, & non credunt in eum per Moysen nec per aliquem Prophetarum, quamvis sunt studiosi in Lege, & in libris omnium Prophetarum, sed Deus vocavit eos per discipulos Justi, qui egressus est cum Deo ad salutem eorum, sicut ipse Deus benedictus, & gloriosus prædixit per os Habacuch Prophetæ, & isti discipuli ejus fuerunt filii nostri de filiis Israel, qui alio nomine vocantur Apostoli. Valde timeo Domine mi, quod isti sint illi, de quibus dixit Deus per os David in Psalmo : *In omnem terram exivit sonus eorum, & in extremis finibus extensa verba eorum.* Et verba Prophetæ expresse demonstrant nobis, quod de ipsis loquitur, & non de nobis, cum dicit : *Non erit lingua, neque sermo, qui non audiant voces eorum.* Et hoc non potest esse de lingua nostra Hebræa ; quæ enim gentes obe-

diunt præceptis Moysi, & Aaron, ip-
sæmet interfecerunt gentes, & fugave-
runt eas a se: Hæ autem gentes sciunt
hodie Moysen, & cognoscunt Deum,
& servant Legem novam, sicut Apostoli
docuerunt eas. Attamen Dei sumus.

C A P I T U L U M XIX.

De electione Apostolorum loco Prophetarum.

Timeo Domine mi, ne illud, quod
Zacharias Propheta dixit cap. 13.
Percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis, fuerit completum, quandos nos
percussimus Pastorem istorum puerorum,
Sanctorum Apostolorum: ex tunc
enim nos oves dispersi sumus per uni-
versum Orbem, & isti filii nostri, scilicet
Apostoli surrexerunt loco Prophetarum,
quod appetet ex hoc, quod
Deus post illos non misit nobis Pro-
phetam, nec notificavit aliquid per
visionem. Timeo Domine mi, ne isti
pueri sint Apostoli, de quibus dixit
Deus per os Joelis Prophetæ cap. 2.
*Senes vestri somnia somniabunt, & pueri ve-
stri visiones videbunt.* Certissime Domine

mi

mi senes sunt Prophetæ nostri, qui somnia
 verunt fidem gentium, quam consecuti
 sunt illi pueri, scilicet Apostoli,
 & viderunt, & de istis pueris dixit
 David Propheta. *Venite filii, audite me,*
timorem Domini docebo vos & Deus non
 nominat filios in plurali, sed solum no-
 minat eos Israel primogenitum in usu
 loquendi communi, & in alio Psalmo
 nominat istos pueros filios, cum dicit:
Filiī tui sicut plantæ novellæ. De Israel
 Domine mi dixit Deus per os Isa. cap. 5.
Vineæ Dei exercituum fuit domus Israel, ex-
 pectavi, quod veniret cum uva, Et venit
 cum spinis propter hoc ego adducam, qui
 destruet illam in conculcationem, & de illis
 prædictis filiis Dei, qui vocantur Apo-
 stoli, dixit Deus per os Isa. cap. 29.
 Non modo erubescet Jacob, nec liquefiet fa-
 cies ejus, sed tunc quando videbit de filiis
 suis illos, quos creaverunt manus meæ,
 sanctificatos ante oculos suos. Et si essent
 Domine mi, filii isti sanctificati coram
 nobis secundum viam Legis nostræ, non
 diceretur de nobis, quod essemus in
 erubescientia propterea, & dissolveren-
 tur facies nostræ, immo haberemus glo-
 riam, & resplenderent facies nostræ,

sed confusio facierum Jacob , & desola-
tio est ista , quod isti filii , quos Deus
creavit manu sua , scilicet Apostoli , sint
sanctificati coram nobis , & non secun-
dum Legem nostram , propterea Deus dat
intelligere , Legem nostram non esse Le-
gem ipsorum . Dixit etiam Deus per os Je-
remiae cap . 31 . In illa die non dicent : Patres
nostrri comedenterunt uvam acerbam , & dentes
filiorum obstupescunt . Quia infidelitas Ju-
dæorum non nocuit fidei Apostolorum ,
nec nocebit . Propter hoc scribitur :
*Vivo ego , dicit Dominus , si erit ultra pro-
verbium istud in Israel .* Quia nunquam
aliquis de Apostolis , postquam recepe-
runt fidem , rediit ad fidem nostram ,
quare non sentiunt acerbitatem infide-
litatis nostræ , sicut dentes nostri obstu-
pescunt de peccato Patrum nostrorum .
Adhuc de ipsis filiis Domine mi , qui
sunt Apostoli , dixit Deus per os Isaiæ
Prophetæ : *A quo transmigrabo nisi a po-
pulo meo ? filiorum autem , qui erunt
infideles , Deus erit Salvator in omnibus
angustiis eorum , & vultus ejus custo-
det in charitate , & clementia redimet eos
& propitius erit eis in longitudinem dierum .*
Verissimum est Domine mi , quod isti
filii

filii, de quibus loquimur, semper man-
serunt firmi, nec Deus transmigravit
ab eis ab illo tempore, quo eos redemit
Rex ille justus Magister eorum, sed
transmigravit a nobis, & fuit semper
cum eis. Et de istis etiam filiis, qui
sunt Apostoli, dixit sapiens JEsus fi-
lius Sirach in cap. 4. *Audite filii charis-
simi, & operamini in salutem; quia hono-
rat Deus Patrem in filiis.* Et qualiter in-
telligi debeat honor ille, declarat Deus
per os Malachiæ cap. 4. *Mitiet Deus
Eliam, qui convertat corda Patrum nostro-
rum ad filios.* O Domine! si Deus de-
buisset convertere corda filiorum, scili-
cet Apostolorum ad patres, cum hoc
debeat intelligi de fide, tunc isti filii,
scilicet Apostoli fuissent nobiscum in
captivitate ista, quæ non habet finem,
sicut & Patres nostri, & nos sumus. Sed
ex quo Deus ordinavit, quod debeant
corda Patrum ad filios converti, quid
est quod exspectamus Domine mi? &
quid præstolamur? Et si voluerimus
dicere, quod alii filii debent esse præ-
ter Apostolos, de quibus intelligantur
prædicta, illi erunt in captivitate sicut
& nos, ex quo viam illius justi non sunt

secuti , quem Apostoli firmiter secuti sunt, & docuerunt sequendam , & propter hoc habent honorem Patrum , in hoc quod Patres dicuntur ad illos converti. Cum ergo Domine mi ! filii nostri prius venerunt quam nos ad fidem Dei, si corda nostra convertantur ad filios, corda eorum converterentur ad nos , sicut dicit Deus altissimus : *Erunt populus unus , animus unus in Deo glorioso , & victorioso.* Quia non debemus intelligere illam conversionem nisi de infidelitate ad fidem , & doctrinam illius Justi , qui est Magister salutis eorum , qui credunt in eo , & secundum quod dixit David de eo. Ipse est , *cujus Sacerdotium erit secundum ordinem Melchisedech in eternum , quo obtulit Sacrificium Panis , & Vini , & fuit Melchisedech Sacerdos Dei Altissimi ante Aaron.* Et attende Domine mi ! quanta sit differentia inter Sacrificium Aaron , & justius Domini . *Dixit Dominus Domino meo , tu es Sacerdos in eternum , non ad tempus sicut Aaron , qui mortuus fuit 120. annorum.* Item Sacrificium Aaron fuerunt carnes , & Sacrificium illius Justi Domini fuit panis , & vinum secundum

dum ordinem Melchisedech. In quibus verbis Dominus per Prophetam ostendit manifeste, quod Sacrificium Aaron finiretur, quando inciperet illud Sacrificium in æternum, & ordinatio sacrificandi: hoc autem sacrificium & ordinationem tunc incæpturam, quando inciperet Sacrificium in pane, & vino æternum duraturum. Sed de hoc Domine mi! adhuc habeo loqui, specialiter dicam aliqua pauca de istis filiis Dei, quæ mihi occurrunt, de quibus dixit Deus per os Prophetæ filii Beethoni cap. I. *Erit locus in quo dicetur: Vos estis filii Dei vivi,* & iste locus Domine mi, absque dubio est Ecclesia; quia Propheta denominat locum per hoc, quod dicit: *erit locus;* quia Synagoga, quæ est locus primus, jam erat, & Synagogam vocat Deus per os Moysi, & Aaron, & omnium Prophetarum: *primo genitum meum;* sed in plurali, & quasi quemlibet in speciali, istos servos genitos vocat Propheta *filios Dei.* De illis filiis dicit etiam Deus per os Prophetæ Deuter. 32. *Sanguinem filiorum ulciscetur, & lavabit terram populi sui,* & nos Domine occidimus Prophetas, & non fecit

vin-

vindictam de eis nisi per 70. annos, sed occidimus Apostolos, & justum Magistrum eorum, & fecit Deus vindictam de filiis ; jam sunt mille anni, & ultra, & per mortem ipsorum lavit Deus terram populi sui, & non dixit terram filiorum Israel. De ipsis etiam filiis dixit David in Psalmo 126. *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii fideles.* Comparat enim Propheta istos filios fideles sagitis emissis de manu potentis; quia Deus omnipotens misit ad duodecim partes Mundi per quatuor Mundi climata fideles hos filios cum doctrina legis Psalterii, & Prophetarum : Moysen autem, & Aaron non misit extra domum sanctam ad docendum, quia non ad Indiam, Romam, nec ad alia loca extra Terram Sanctam misit eos annunciare doctrinam Legis, & Prophetarum ; Sed isti fideles Filii sic projecti, vel missi per universum Mundum, surrexerunt coram Deo loco nostri, postquam Deus occidit Israel, & nomen nostrum. quod bene innuit David in Psalmo, cum dicit : *pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos filios Reges, & Principes,* & per istos innovata est Lex prima secundum ordinem Melchi-

chisedech, qui Sacrificium Dei instituit
 in pane, & vino, ex quibus commu-
 nicavit Abraham amico Dei , prout
 extat in lege certum, apud quem Deus
 per ministerium istorum mutavit Sacri-
 ficium nostrum sicut mutavit nomen
 nostrum, & sicut mutavit Legem carna-
 lem nostram in Legem spiritualem. Et
 si Deus dixisset nostro Moysi, sicut dixit
 per os David Messiae, sive Christo: Tu
 venies Sacerdos in æternum secundum
 Legem Moysi, & Aaron: staret illa lex.
 Sed dixit: *Tu es Sacerdos in æternum secun-*
dum ordinem Melchisedech. Et amicus
 Dei communicavit de Sacrificio panis,
 & vini, & non de Sacrificio carnium.
 Ad hoc bene sonat verbum Moysi, cum
 dixit: *Comedetis vetutissima veterum* (per
 quod intelligit Sacrificium Melchise-
 dech.) Et iterum: *& novis supervenien-*
tibus primo novæ legis Sacrificio pub-
licato, vetera scilicet vestra Sacrificia
projicietis. Nos tamen Dei sumus
 in omni eventu.

C A P I T U L U M X X .

De Reprobatione Sacrificii Judæorum, & electione Sacramenti Christianorum.

Timeo Domine mi! ne Deus eje-
rit nos a se, & Sacrificium no-
strum, & acceptaverit Sacrificium gen-
tium, sicut dixit per os Malach. cap. 1.
Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, neque accipiam *Sacrificium vestrum,*
quo niam ab ortu solis usque ad occasum ejus
magnum est nomen meum in gentibus, quæ of-
*ferunt in nomine meo *Sacrificium mundum,**
*ergo apud Deum *Sacrificium gentium**
*est mundius quam *Sacrificium nostrum.**
Et insuper quia Deus privavit nos om-
ni *Sacrificio mundo, docens Christianos,* ut ipsi vitarent nos, ne contami-
narentur, sicut nos vitavimus gentes om-
ni tempore, quo *Sacrificium nostrum*
fuit mundum apud Deum, & accep-
tum legis. Etiam tu Domine mi nosti,
quid dicit Deus de nostro *Sacrificio,* cum
ait per os David Prophetæ : *Numquid*
vidistis vos, quod ego comedи carnes tauro-
rum, & hircorum sanguinem biberem?

per

per quod manifestat Deus, quod ipse
condemnet carnium Sacrificium. Et
unde est nobis Domine mi! quod nos
detestamur in gentibus Sacrificium pa-
nis, & vini, quod statuit Deus, & in
illo reprobat Sacrificium carnium?
Cum Salomon describat illud Aaron di-
cens : *Iste scilicet Aaron extendit manus
suas super Altare, & obtulit Sanguinem
uvæ, & incensum Deo vivo, & obtulit Sa-
crificium nostrum de granis terræ, sicut
Melchisedech obtulit pro Abraham.* Deus
etiam testificatur per os Jesu Prophe-
tæ cap. 19. *Quod nos obtulerimus Sa-
crificium de panibus, cum dixit: Non
offeratis mibi Sacrificium panis, quoniam
panes vestri tristitiaæ sunt, & quicunque co-
medit ex eis, contaminabitur.* Unde nos
offerebamus aliquando Sacrificium pa-
nis, sed nullum est acceptum Deo de
manibus nostris. Et de nostro Sacrificio
carnis dixit Jesu Propheta Filius Betho-
ni cap. 9. *Deus magis diligit pietatem, &
misericordiam quam Sacrificium carnium.*
Declarat Deus Sacrificium gentium per
Moysen Num. 18. *Offeretis Deo Sacri-
ficium de levatis de terra, & de expressio-
ne uvæ, & benedicat vobis Deus, & cum
etis*

Eis operibus manuum vestrarum. Scimus etiam nos Domine mi! quod Deus mandaverit in principio poni ante arcam fœderis Domini panes, & non carnes. In Exod. etiam cap. 29. dixit Moysi: *Offeras bircos, & cum illis panes azymos,* qui panes azymi sunt Sacrificium gentium. Etiam Domine mi! cum Deus de hoc in libro Regum cap. 21. præcepit Aaron per Moysen dicens: *homo de semine Aaron Sacerdotis, qui habet maculam, non offerat Sacrificium de panibus, nec aliud quodcunque Sacrificium.* Vide Domine mi! per quod proponitur Sacrificium panis. Dicit etiam Deus per Moy-sen Levit. 23. *Offeretis Deo Sacrificium de omnibus habitationibus vestris panes duos de primitiis frugum, & cum panibus arietes septem, primo ponit, Domine mi!* panes, & postea carnes. In alio loco legitur, quem tu scis Domine mi! dixit JESus, charus, & gloriosus Filiis Israel: *Quando intraveritis terram habitationis vestrae, quam daturus est vobis Dominus Deus in hereditatem, offeretis Deo panes in Sacrificium, & Sacrificium totum, & adhuc taurum cum farina purissima, & pane.* De pane ergo Deus præcipit fieri

ri Sacrificium , & ex farina purissima ,
 & acceptabit illud , & tale Sacrifi-
 cium est hodie gentium , scilicet pa-
 nis ex farina purissima . De Sacrificio
 etiam panis fit mentio primo Reg . 21 .
 cum David venit ad Abimelech Prin-
 cipem Sacerdotum in Sylo , & petivit
 ab eo panes , qui respondit : *Non sunt*
bis panes , nisi panis oblatus , quem non
convenit comedere pueris tuis , quia san-
ctus est . Hæc dicta sint de Sacrificio
 panis , & plura dici possent , quæ tu
 Domine mi nosti , sed quia gentes po-
 nunt in Sacrificio suo aquam , non de-
 bet nobis inconveniens videri , quia
 etiam in scripturis sanctis invenimus
 de hoc exemplum , scilicet , quod Deo
 fiebat Sacrificium de aqua , & fuit Deo
 acceptum . Invenimus etiam secundo
 Reg . 23 . quod duo juvenes hauserint
 aquam de cisterna , quæ erat ante por-
 tam Bethlehem , & Propheta David
 obtulit illam Deo in Sacrificio , ergo
 non est contra scripturam , si gentes
 hodie ponant aquam in Sacrificio , quod
 faciunt Deo . Nos etiam legimus , ut
 dictum est , quod Aaron fecerit Deo
 Sacrificium de pane , & vino , & Da-

vid de aqua, & ista tria sunt simul in uno Sacrificio mundo, quantum natura patitur, & quantum intellectus noster excogitare potest, & non sicut carnes taurorum pinguium. Elias noster, ut narratur Reg. 3., infudit aquam super Sacrificium carnium, & Deus misit ignem de Cœlo, & acceptavit magis Sacrificium cum aqua perfusum. Angelus in figura communicavit etiam Eliam in pane subcinericio, & aquâ, quando Elias ambulavit in fortitudine cibi super illud, quod natura non potest concedere, 40. diebus usque ad montem Dei. Hoc etiam Sacrificium vini cum aqua mixtum pulcherrimum, & aptum describit Salomon Propheta in libro Proverbio. cap. 6. cum dicit: *Sapientia Altissimi communicavit Sacrificium suum, & paravit mensam, tunc misit servos dicens: Qui est parvulus, veniat ad me, insipientes comedent panem meum, & bibent vinum meum temperatum aqua.* Quid Domine mi! mensa parata Sapientia Altissimi nisi Altare? Quid Domine, panis, & vinum mixtum, nisi Sacrificium de pane, & vino, & de aqua, quod fit in Altari? qui sunt in-

insipientes vocati per servos sapientiae,
disi gentes, quae ignorabant Deum vo-
catæ per Apostolos? Et notabiliter di-
cit: *Panem suum, & vinum suum:* per
id enim innuit hoc Sacrificium esse gra-
tum Deo, & quod ad istud convivium
tam sublime, & tam spirituale non vo-
caverit patres nostros, qui erant sapien-
tes in Lege, occupati in Sacrificio Le-
gis, & quod carnale Sacrificium non re-
miserit nobis, sed privaverit nos illo,
jam sunt mille anni completi, quod
nobis accidit propter illum Justum, in
quem peccavimus. Attamen Dei su-
mus.

C A P I T U L U M X X I .

Quod Deus refutaverit Jejunia Sabbati, &
Sacrificia Iudaorum, & Christianorum
elegit.

VAlde timeo Domine mi! ab illo ver-
bo, quod Deus fortis & gloriosus
dixit per os Malachiæ cap. i. tibi sic
tangit de Sacrificio gentium: *Ab ortu So-*
lis usque ad occasum gentes offerent Sacri-
ficium nomini meo mundum. Ubi adverto,

quod Sacrificium nostrum non fuerit acceptum, nisi in uno loco solo; scilicet in Domo sancta præcisè, quo etiam loco, & Sacrificio privavit nos Deus, scilicet terra promissionis, & ubique dispersit nos terrarum, jam sunt mille anni. Unde venit super nos, & completum est, quod Deus dixit de nobis per similitudinem loquens per os Isaiae cap. 22. ubi ait: *Completa est vindemia, & non est de cætero collectio.* Unde venit super nos, & completum est, quod Deus dixit per os Malach. Prophetæ, ubi sic ait: *Non est mihi voluntas in vobis, & sacrificium non accipiam a vobis.* Venit etiam, & jam completum est, quod Deus dixit per os Isa. cap. 1. cum ait: *Sabbata vestra, & festivitates vestras.* *& Sacrificium vestrum non recipiam, quia omnes vos estis in ira mea.* Venit etiam, & completum est super nos, quod dixit in eodem cap. Isaiae, cum loquitur per eum Deus, & ait: *Quid mihi multitudo victimarum vestrarum? quid multiplicastis mihi Sacrificium de Arietibus, & carnis hircorum?* Ego autem contempsi sanguinem Vitulorum, & Arietum carnes, & hircorum, cum praesentaveritis ea coram me,

&

Et quis recipiet ea a vobis ? non detur petis
 lapides meos sanctos frustra , non offeretis
 ultra Sacrificium , quoniam Incensum ve-
 strum , Et Sabbata vestra , Et Solemnitates
 vestras non recipiam a vobis ; quia odivit
 illa anima mea . Si elevatis manus vestras
 ad me , avertam vultum meum a vobis , Et
 si multiplicaveritis orationes vestras , non
 exaudiam : quoniam manus vestrae plena sunt
 sanguine , Et omne Sacrificium vestrum sicut
 cadaver fætidum , Et egressus atrii portæ ex-
 terioris : Et ille qui mibi jugulaverit tau-
 rum , sicut qui decollaverit hominem , Et
 ille qui obtulerit in Sacrificium Hircum ;
 sicut , qui obtulit Canem , Et qui obtulit Vi-
 num , sicut qui offert sanguinem Porci . Sed
 abominatio de Sacrificiis apud Deum
 nihil aliud significat , nisi mutationem
 Sacrificii nostri carnalis , & grossi , in
 Sacrificium istius justi Domini spiritua-
 le , & subtile , qui instituit offerre pa-
 nem loco carnium , & aquam mundam
 loco pinguedinis carnium , & vinum
 purum loco sanguinis , & homo offertur
 spiritualiter & acceptabiliter Deo , non
 sicut animalia decollata per nos , quæ
 per Prophetam comparantur cadavéri
 putrido , nos attamen Dei sumus , &

ad ipsum redibimus in omnibus, quæ
evidenter nobis. Et quia non credi-
mus Domine hæc, quæ locutus est nobis
Deus per Prophetam istum, qui descri-
bit tam evidenter de Sacrificiis nostris,
dixit etiam Deus per Jerem. cap. 7.
*Invitate proximos vestros ad Sacrificia, &
comedite cum eis carnes Sacrificiorum ve-
strorum, quia in die, qua eduxi patres vo-
stros de Egypto, non præcepi eis verbum de
Sacrificiis, sed dixi: Audite vocem meam,
& ero vobis Deus, & vos mihi populus,
si ambulaveritis in omnibus, quæ præcipio
vobis, bene erit vobis, & non audierunt,
necc posuerunt aurem suam ad dictum meum,
& tu Domine mi es, qui hoc nosti. At-
tamen Dei sumus in omnibus, quæ
evidenter nobis,*

C A P I T U L U M XXII.

*Probat abjectionem Synagogæ, & electionem
Ecclesiæ per Verbum Domini ad Rebeccam.*

Timeo Domine, quod de Synagoga,
& Ecclesia intelligatur verbum il-
lud, quod scribitur cap. 25. primi Lib.
Legis, cum dicit Dominus Deus Rebec-

Cæ Uxori : *Duae gentes sunt in utere tuo,*
& duo Populi venient de utero tuo, & Gens
Gentem superabit, & major serviet minori.
 Domine mi ! sola Rebecca fuit Mater
 Judæorum & Gentilium. Populus ma-
 jor, & primogenitus fuit Synagoga, quæ
 major fuit honore, & scientia Dei do-
 tata. Populus secundo genitus, & mi-
 nor apud Deum, fuerunt Gentes in infi-
 delitate manentes, & ignorantia sua.
 Verum Domine mi ! si Deus occidit
 Israel, prout describit Isaias, & tunc
 etiam tota subversa est Synagoga, quæ
 fuerat major, & servivit Gentibus, quæ
 fuerat minor, ut completeretur verbum,
 quod Deus dixit Rebecca : *Gens Gentem*
superabit ; Etiam de Ecclesia dixit per
 os David Psalmo 44. *Astitit Regina à dex-*
tris tuis in vestitu deaurato distinctis colo-
ribus adornata, Exponitur Domine mi,
 quod Ecclesia Gentilium, quæ vocatur
 Regina diversitate linguarum omnium,
 quæ serviunt ei, est adornata quasi co-
 lorum distinctione. Nam omnes lin-
 guæ in Ecclesia concordant in vera ex-
 positione Legis, & Psalterii, & Libri
 omnium Prophetarum. Synagoga ve-
 ro non habuit nisi unam linguam, &

ornatum suum quasi uno colore, scilicet
Hebræa.

C A P I T U L U M XXIII.

Probat hoc idem per Verba Malachie Prophetae.

Timeo etiam Domine mi! de verbis inductis superius frequenter per Malachiam Prophetam, cum ait: dixit Deus Synagogæ: Non est mibi voluntas in Sacrificiis vestris, quia ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum inter gentes, quæ offerunt nomini meo Sacrificium mundum, sicut de natura sua munda sunt, aqua, vinum, & farina pura, de quibus factum est Sacrificium. Non indiget mundatione & lotione, sed Synagoga indiget lavare carnes Sacrificiorum, & purgare ventres animalium, quæ in Sacrificio sacrificantur, & lavare locum de sanguine, & pinguedine Sacrificiorum, alias esset horror tractare. In Sacrificio autem panis, & vini, & aquæ non apparet aliquid indecens. Proverb. 17. *Menzor est buccella panis, nihil turpe etiam*

cor-

corporaliter sumpta continens. *Æstimo Domine mi!* quod de isto Sacrificio dixerit Deus per Salomonem Proverbior. 17. *Melior est buccella panis cum echaritate, quam Vitulus saginatus cum inimicitia.* Buccella amoris, Domine mi! pura est mansuetudo, & remissio mutua offensarum, & Vitulus odii saginatus est oculus pro oculo, & occulta interfectio inimicorum. Ergo Domine mi! Sacrificium Synagogæ est Vitulus pinguis cum inimicitia, & Sacrificium Ecclesiæ buccella est panis cum charitate, de qua dixit Deus: *melior est buccella &c.* Pulchre etiam describit Deus Ecclesiam assimilando Cervis per os Salomonis Proverbior. 5. ubi ait: *Cerva Deo charissima in æmulo suo, cuius ubera inebrient te omni tempore, & amor illius delectet te in æternum.* Synagoga enim dici posset Cerva aliquo modo, sed non est nobis possibile exponere verbum istud, ideo præsertim, quia non habet æmulum unum, sed æmulos multos. Æmuli ejus fuerunt Moyses, & Aaron, Daniel, Esaias, Hierenias, & cæteri similes. Et Ecclesia est Deo dilecta Cerva, in æmulo suo uno, de quo, & qua scribitur Cer-

va charissima Deo in emulo suo non habente parem in nobilitate, & gratia. Tunc addit Domine mi! & dicit: *inebriant te ubera ejus omni tempore, delectare in amore illius in æternum.* In quibus verbis describit Deus Sacrificium Ecclesiæ omni tempore duraturum in æternum. Similat autem Deus illam Matri lactanti filios, & in hoc quod dixit, *inebriabo te*, denotat materiam Sacramenti spiritualiter quantum ad vinum, & *ubera* denotat in reliquis partibus Sacramenti esse delectabile nutrimentum, & sufficiens Sacramentum, quo Sacrificio jam fruitur, & delectatur Ecclesia, jam mille anni sunt, a quo tempore privavit Synagogam Sacrificio. *Æmulus* autem ille, in quo Ecclesia est tam grata Deo, est Christus Dominus, & *ubera* ejus dant vinum perpetuum, de quo provenit gaudium sempiternum. Et non dicit, quod dabit carnes, & pinguedinem, vel sanguinem, quæ faciunt sacrificium laboriosum, Sacrificium Synagogæ, quo Deus privavit nos, jam sunt mille anni, nos autem Dei sumus Domine mi. Fuit autem Synagoga sicut mulier, quæ habuit alium virum præter Deum, &

per

perdidit illum, & domum sanctam. Ea
 ista Ecclesia fuit Cerva in deserto sine ma-
 rito, sed Deus vicem illius supplet.
 Unde ipse fortis, & gloriosus dicit per
 Esaiam cap. 63. Puellæ sequestratae melio-
 res sunt, quam illæ, quæ habent virum.
 Item ille Propheta cap. 63. Ego faciam
 dicit Dominus Deus vineam, Et flumina
 ad potum populo meo electo, Et tu Jacob
 non obediens, Et tu Israel non audiens,
 sicut nos Domine mi sumus extra obe-
 dientiam, nec habemus aures, nec ocu-
 los, quapropter hæc captivitas nostra
 jam usque ad complementum mille an-
 norum pervenit. Timeo Domine mi
 de Lege nostra, quæ furoris iram habet
 in promptu, & dicit oculum pro oculo &c.
 Sed Cerva illa æmulum habens unicum
 dixit in Evangelio suo glorioso Mat-
 thæi 5. Qui te percufferit in unam ma-
 xillam, statue illi Et alteram. David in
 Psalmo 31. ait. Quam magna, Et quam
 multa dulcedo tua Domine, quam abscondi-
 sti timentibus te, Et complevisti eam speran-
 tibus in te! Et est clarum Domine mi,
 quod populus Synagogæ timuerit poenas
 Legis, scilicet oculum pro oculo, quia
 erat in promptu executio. Sed Popu-
 lus

Ius Ecclesiæ sperans est in dulcedine
Dei, qui percussi in faciem non reper-
cutiunt, quapropter paravit illi Deus,
scilicet gentibus magnam multitudinem
dulcedinis suæ, quam abscondit a Ju-
dæis. Attamen &c.

C A P I T U L U M XXIV.

Quod cantus Christianorum sit Deo acceptus.

PAveo Domine mi! ne loquatur Deus
de nobis per os Isaiae cap. 29. cum
ait: *Erunt Prophetæ apud nos, sint sicut ver-
ba libri signati, quem non aperit lector nec
ignorans litteras.* De filiis autem supra-
dictis quos toties descriptis, ut allega-
tum est, in eodem cap. dicit: *Manife-
stabunt sanctum Jacob, & evangelizabunt
Deum Israel, & accipient ignorantes scien-
tiam, & musici scient leges.* Aperte vide-
mus Domine mi! quod jam sint mille
anni, quod ignorantes musici sciunt,
& docent Legem nostram, & qui sunt
ignorantes nisi gentiles? & qui sunt mu-
sici cantantes Psalterium nostrum, &
Prophetas in Ecclesiis suis, nisi Chri-
stiani? De quibus musicis sive cantori-
bus

bus dicit Deus per os David in Psal. 75.
Cantate Domino canticum novum quia mirabilia fecit. Et quid est canticum illud novum Domine mi! nisi Testamentum novum , & antiquum nisi lex antiqua? Et de ipsis etiam musicis dicit Deus per David Prophetam Psal. 95. *Cantate Dominu omnis terra Psalmum dicite nomini ejus.* Et in eodem: *Cantabunt tibi , & psallent nomini tuo universæ familiæ gentium,* & notanter dicit: *universæ familiæ gentium,* & non Israel singulriter. De ipsis etiam musicis dicit Deus per os David Psal. 88. *Beatus Populus, qui scit cantilenam, in lumine vultus tui ambulabunt.* De illis etiam Domine mi scribitur in Psalmo 71. *Cantabunt tibi gentes in Domo Dei mei canticum.* In loco isto ponit cantilenam antonomastice : sed jam sunt mille anni , quod nos Judæi non cantavimus in Domo sancta. De ipsis cantoribus dicit etiam David : *Cantabunt canticum in Domo Dei in eternum.* De nobis dicit in Psalmo 136. *Quomodo cantabunt canticum Dei in terra aliena?* Et qualiter potest esse Domine mi! ut speremus terram habere , & nomen ? cum Deus dicat per Amos Prophetam cap. 5. *Cecidit Israel, & non resur-*

surget, virgo Israel prostrata est. Et non elevabitur. Idem Propheta cap. 9. Et venit tribulatio, Et non salvabitur qui effugerit ex eis, Et si absconderint se in monte Carmeli, inde præcipitabit eos manus mea, etiam si descenderint in profundum maris, illuc mittant serpentes, Et mordebunt eos, Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, Et occidet eos, Et ponam oculum super eos in malum, Et non in bonum. Quod fecit nobis Deus, jam sunt mille anni completi, ex quo canticum, & Psalmum cantavimus. Attamen, &c.

CAPITULUM XXV.

Quod Judæi indebiti reprehendant canticum Christianorum.

Domine mi! dixit Deus de nobis: Ponam oculum meum super eos in malum, Et non in bonum, sicut manifeste videmus, jam sunt mille anni, dixit vero de istis filiis musicatoribus per os David: Omnes gentes plaudite manibus, Et cantate Deo in voce laudis, & alibi dicit: Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in iustitia; introite in conspectu ejus in exultatione,

zione. Et Psalmo 95. *Cantate Domino omnis terra*, & annunciate de die in diem salutare ejus. Paveo Domine mi! ex quo Deus dixit per os Hier. cap. 9. *Docete filios vestros*, & filias vestras fletum, & planctum, quoniam mors egressa est per portas vestras, ex quo Deus dixit de his filiis musicis sive missitatoribus per os David Psalmo 148. *Reges terræ*, & omnes populi principes, & omnes judices terræ; juvenes, & virgines senes cum junioribus laudent nomen Domini. Et Psalmo 49. *In Sacrificio cantus honorabit me*, ac si aperte diceret: non in Sacrificio carnium hircorum, sicut erat Sacrificium nostrum. Etiam, Domine mi, dixit per os Esa. Prophetæ cap. 158. *Musici seu musicatores addiscentes scripturas*, & totum Psalterium David, sic musicali arte notatum per sonum acutum, & gravem. His omnibus consideratis videtur mihi nos errare in hoc, quod laudis Sacrificium reprehendimus, quod in Ecclesia Dei exhibit cantando, præsertim cum in Lege Dei de hoc inveniam præcepta, & Exempla David, qui etiam dicit: *Laudate eum in cithara*, & organo, *laudate eum in cymbalis magnis laudibus*, &

omnis spiritus laudet Dominum Iesum Christum, hoc scribit Psalmo 150. Exemplum etiam in 2. Reg. cap. 6. ubi legitur ; quod David discooperto capite saltans psallebat cum cithara ante arcam Domini , quem temeraria uxor sua Michol ausa est redarguere. Cui ipse ait : *O fatua ! nonne videbit me Dominus despectum psallentem ?* Filii autem Israel sonabant buccinam , dum transducebant arcam. Sed qui sumus , Domine mi , obsecro irridentes solennitates ipsorum musicorum , nisi Michol fatua ? & qui sunt isti canentes , nisi Christiani saltantes , exultantes Deo in humilitate sicut David ? præfertim cum dicit Deus : *omnis spiritus laudet Dominum.* Si dixisset omnis Isaelita præcise , tunc possemus aliis insultare. Et sic Deus fortis , & gloriosus dicit per os Isaiæ Prophetæ cap. 2. quod gentes sunt in conspectu ejus quasi nihil. Sed hoc est intelligendum de gentibus istis , quæ fuerunt antequam haberent notitiam Dei per adventum justi , quia tunc fuerunt pagani , & Idololatræ. Ideo intelligi non potest bene illud , nisi de gentibus , quæ invenerunt Dominum , quæ offerunt omni die Sacrificium mundum

in

in Oriente, sicut dicit per os Malach.
Prophetæ, ut jam superius est allegatum,
& certe Domine mi nos erramus. At-
tamen.

C A P I T U L U M XXVI.

In quo probat apostasiam Judæorum a Deo.

Timeo Domine mi! ne nos defeceri-
mus a Deo in primo adventu istius
Justi, de quo introduximus auctoritates
prædictas, & cui expresse conveniunt
omnia quæ scripta sunt apud nos in lib-
ris Legis, & Prophetarum, propter
quam apostasiam sicut Deus prætendit
fidelitatem in longitudinem dierum, ita
& captivitatem istam longissimam nobis
intulit, & si expectamus Salvatorem alium
ab illo Justo non prodest nobis, sed ar-
gumentum nobis evidens est captivitas
illa quæ fuit in Babylonia 70. annis, tam
quoad tempus quia breve, quam quoad
gratiam, quia Daniel Propheta fuit captus
nobiscum, qui erat amicus Dei, & per
quem consolabatur nos de liberatione pro-
pinqua: neque etiam omnes Tribus fue-
rant in ipsa captivitate, sed hæc captivi-
tas jam pervenit ad complementum mil-

le annorum, nec est Daniel nobiscum, & omnes Tribus, nulla excepta, sunt in dispersione elongatae a Domo Sancta. Ex quo signum est evidens quod pro peccato generali, quod est in nobis omnibus, quod peccatum cum perseveret in nobis, perseverabit ira super gentem nostram sine spe, & tamen expectamus aliquem alium, quæ expectatio non prodest nobis. Et si voluerimus dicere quod hæc captivitas non est generalis, & quod in aliqua parte mundi nos habemus Regem, & Principem, cito poterimus secundum Legem nostram argui de mendacio, & convinci: Nam si nos Judæi in aliqua parte mundi Regem, & Principem haberemus, hoc esset de una sola Tribu, scilicet Juda, sed Deus definivit contra Judam, quod non esset super Juda Rex ex illa in æternum. Unde dixit Hierem. Propheta cap. 17. Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo in lapide adamantino insiliens super corda eorum, & id quod est scriptum stylo ferreo in lapide adamantino qualiter deleri expectamus? non delebitur in æternum: præsertim cum Deus fortis, & gloriosus locutus est per os Esa. Prophetæ cap. 3. Dominator Dominus auferat à Hierusalem, & Juda Judicem Prophe-

phetam, & Principem. De nobis etiam dicit Propheta filius Boceri cap. 15. libri sui: *Erunt filii Israel sine Principe, & sine Lege.* Nos scimus Domine mihi quod ab initio mundi fuerint aliqui magni, & Sancti coram Deo, & in principio fuerint longævitæ sicut Matusalem, & Enoch, & ceteri, & nullum illorum extenderit Deus ultra mille annos, & nos invenimus inter nos, quod Messias sive Christus promisus nobis fuerit natus in Babylonia tempore captivitatis illius quæ fuit 70. annorum, sed hoc tempus nostrum habet in ætate, 1000. & 5. annos, quam fabulam, & non Prophetiam nulla ratione possimus defendere, hoc tamen dicimus, & asserimus in Synagogis nostris ubi nullus commiscetur nobis extraneus. Sed audias doctrinam Christianorum publicam super Psalmo 86. fundatam: *ad Sion dicet homo & homo natus est in ea, & ipse, qui est, fundavit eam.* In verbis istis nominat Mariam Dominam nomine Civitatis, & dicit, *quod homo natus est in ea,* & non dicit, talis Israël itæ vel talis, ut intelligas quod Filius MARIÆ non fuerit unquam in lumbis alicujus hominis. Et in 2. libro Reg. cap. 7. hoc manifeste

declarat , cum Deus dicit ad David :
*Quando compleveris dies tuos , & dormieris
cum patribus tuis , suscitabo progeniem tuam
post te , quæ egredietur de utero tuo , & ego
ero illi in patrem , & ipse erit mihi in filium :*
Sed nunquam fuit possibile Domine mi ,
ut aliquis egrederetur de utero patris sui ,
sed hoc expresse ponit ad demonstran-
dum , quod Christus non foret concipiendus
in muliere per semen decisum de lum-
bis viri , sicut ceteri homines , tam a Da-
vid , quam ab aliis descendendo . Dicit
etiam Deus per os David in Psalmo : *Ex
uterio ante Luciferum genui te , ac si Deus
fortis , & gloriosus diceret de Christo suo ,
quod de voluntate sua , quæ est Spiritus
Sanctus , genuerit eum , & non de semi-
ne ducendo , cum ponit ex utero , quia
Christus natus est ex utero sine virili se-
mine præter cursum solitum naturæ , &
hæc est vera doctrina Christianorum ,
quæ non intrat in capitibus nostris pro-
pter hoc evenit nobis illud , quod evenit
nobis . Describit etiam per eundem mo-
dum Christum nasciturum David Pro-
pheta cum dicit in Psalmo 131 . *Juravit
Dominus David veritatem , de fructu ventris
tui penam super sedem tuam . Attamen Dei
sumus .**

CAPI-

CAPITULUM XXVII.

*Concludendo inducit aliqua dicta Saraceno-
rum de JESU, & MARIA Matre ejus.*

Certe, Domine mi ! licet nobis non
opponant Christiani dicta Sarace-
norum , præcipue, quæ traduntur in Al-
corano , & in expositionibus ejus, scien-
tes, quod nos ea non reciperemus sicut
nec ipsi recipiunt , tamen ad fatigatio-
nem nostram , & ad fortificationem cre-
dentiū ; Si nobis opponerentur illa ,
quæ dicuntur a Saracenis de JEsu , & de
Beata Maria ejus ? Omnes enim Saraceni
dicunt, quod ipse fuerit ille Messias quem
prædixerunt esse venturum , & præpo-
nunt illum Mahometo eorum Deo , quan-
tum ad genealogiam, fatentur enim, quod
parentes Ma hometi fuerunt idololatræ , &
pravi , & de semine Agar Ancillæ . Econ-
tra dicunt, quod Messias fuerit filius Isaac,
& Prophetarum , & justorum , & recta li-
nea usque ad Beatam Mariam Virginem
Matrem ejus. De Maria vero dicitur sic
in Alcorano de familia Adamar : *dixit An-
gelus Gabriel ad Mariam : O Maria ! Deus te
elegit , & docuit gratiam , & præelegit super*

omnes mulieres omnium sacerdotum, & posuit
te quasi novum medium, dividens inter ho-
mines terrenos, & Angelos Dei in Paradiso
deliciarum. Dicunt etiam omnes Saraceni,
quod Christus, sive Messias habuit a Deo
potestatem faciendi miracula, sanandi
omnem languorem, & infirmitatem, &
ejiciendi dæmonia, & suscitandi mor-
tuos, & scivit omnia secreta cordium, &
credunt omnia miracula JESUM fecisse,
quaæ Evangelium commemorat. Et hoc
expresse testificatur Alcoranus, ubi di-
citur in cap. prædicto; quod Messias sci-
vit, & scit omnia, & etiam secreta cor-
dium. Unde verba Mahometi scivit Eise,
id est JESUS, omnem librum, & omnem
sapientiam, & etiam totam Legem Moysi, &
quod omnes comedebant, & bibebant in do-
mibus suis, & quid reponebant in thesauris
suis. Dicunt etiam de Christo, sive Mes-
sia, quod, dum fuit in isto mundo, con-
tempserit divitias, & abjecerit carnales
delectationes, nec habuerit concubinas,
quaæ sunt occasio peccati, & causa inobe-
dientiarum. Item dicitur in Alcorano illud
verbum Evangelicum: *Vulpes foveas ha-
bent, & volucres cœli nidos.* Et hæc om-
nia licet sint auctoritates aperte dicen-
tium

tium contra; sunt tamen conformes iis,
 quæ Prophetæ dixerunt de Messia in pri-
 mo adventu suo, ut patet in prædictis. Di-
 cunt etiam in Alcorano, quod *Eise*, id est
 JESUS Christus, est verbum Dei, & omne Ver-
 bum Dei est JESUS Christus, apud Saracenos
 est quasi nomen proprium, ita ut nullus
 aliis homo vocetur hoc nomine JESUS,
 quem vocant Eise; unde dixit Deus ad
 Eise, ego sum sufficientia tua, ego exaltabo te
 usque ad me, & purificabo te ab infidelibus.
 Considera ergo Domine mi! quod Judæi
 propter captivitatem, quam passi sunt iam
 sunt mille anni, sint paucissimi in compa-
 ratione aliarum nationum. Nam Saraceni
 multiplicati sunt, & crescunt quotidie:
 Gens autem Christi implevit totum mun-
 dum. Nos vero ubique dispersi sumus a
 Domino Deo nostro, & ubique sumus pau-
 cissimi. Sicut Ruben cum dixit *non cre-
 scas &c.* Nos autem non crescimus, & illi
 crescunt, quibus sumus inimici, super om-
 nes gentes, & nihil proficimus, & testimo-
 nium multorum stat semper contra nos,
 scilicet Christianorum, & Saracenorum
 Alcoranum, & Evangelium Christi qui-
 bus nolumus obedire, eo judicio Alcora-
 nus nihil valet, attamen sicut expositione

cjas

eius apparet, evidenter erit in testimoniu: sed quid dicemus de Lege Christianorum supposito quod Christus sit? Nihil in ea contra Prophetas; & Prophetias sed est manifestatio omnium Prophetarum, & impletio omnium, quæ in Lege continentur, prout continet doctrinam Christianorum. Unde Domine mi! super his dubiis ad te recurro. Super primis nostris, quæ habui a proprio testimonio Alcorani; scio, quod quasi nihil erraverim, maxime quia Arabicum scis. Perfecte enim ipse Mahometus, qui se Prophetam esse prædixit & qui se nuncium Dei esse contra Deum, & ejus Scripturam docuit, ut corruptus homo penitus, & ignorans &c.

Nota, quod iste libellus videatur fuisse occultatus per Judæos ultra ducentos annos, & triginta, quod colligitur ex hoc, quia cum iste Doctor Samuel scriberet Rabbi Isaac, solum dixit fluxisse mille annos a tempore, quo per Titum expugnatam Sanctam Civitatem Judæi sunt dispersi, & ideo videtur, quod statim post mille annos captivitatis, & dispersionis Judæorum, iste Liber fuerit conscriptus; sed Judæi videntes, se e tot evidentiibus testimoniis Prophetarum convinci; istum librum tanto tempore occulta- verunt, ne per Catholicos fideles possent argui per contenta in hoc libello, hinc translatus est sub Annis Domini 1400. &c.

